

Anno Dom. Inus Praeclor
erit. 16 ov. die
17 Decemb.
Sufficit mihi gratia tua
Dom.

Henricus Vreng
laus Dux Monsterbe
gensis Stanni

WBP
Opole
2782 sk

C
PHILIPPI
ET PRAEC
Roterodami, d
rerum: jam
(quas

Erotemata

DIALECTI-

CAE ET RHETORICAE

PHILIPPI MELANCHTHONIS,

ET PRAECEPTIONVM ERASMI

Roterodami, de utraq; Copia, verborum & rerum: jam primum ad usum Scholarum (quas vocant Triviales) breviter selecta & contracta.

PER

LVCAM LOSSIVM LV-

naburgensem ediscendi gratiâ.

Libellus ad puerilem institutionem, si quisquam alius in hoc genere, valdè accommodatus & utilis.

Diligenter nunc postremò ab ipso AVTORE recognitus, & vtiliter auctus.

Francofordiæ ad Oderam in officina Andreæ Eichorn.

1568.

WDB
Erfurt
2782 8°

Cicero de partibus, & de laude Dialectices in Tusculanis.

SEquitur tertia, quæ per omnes partes sapientiæ manat, & funditur, quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit vera & falsa diiudicat, differendi ratio & scientia, ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio & digna sapientia.

Et de Finibus.

Dialectica habet rationem, ne cui falsò assentiamur, neue unquã captiosa probabilitate fallamur, eaq; quæ de bonis & malis diceremus, ut tenere, tueriq; possimus: Nam sine hac arte, quemuis arbitramur à vero abduci, falliq; posse.

Augustinus in libro de ordine.

Scientia argumentandi, diuidendi, definiendi, non ab hominibus pro arbitrio instituta, sed in rerum ratione comperta est.

AD

AD D. M. IOHANNEM CNIPIVM ANDRONICVM SECVNDVM, CAETEROSQVE hæredes & præfectos officinæ Typographicæ D. Christiani Egenolphi Francofurdiensis ad Mœnum, DD. & fratres suos in Christo dilectos.

ALlatum est ad nos, Viri doctiss. & clarissimi, fama & literis vestris de emigratione ex hac vita ærumnosa & caduca in cœlestem patriam, viri honesti et optimè meriti de Ecclesia Dei & Scholis omnibus, D. Bruchbacchij Typographi vestræ vrbis inclytæ & celeberrimæ, de cujus obitu & nos meritò dolemus. Fuit enim & in nostri quoq; perstudiosus & amans. Ideò tradidi ipsi olim quoq; opuscula quædam nostra puerilia suis typis excudenda, in quo fidem summam & amorem suum erga me declarauit. Primus autem omnium is excudit Epitomen Erotematum nostrorum dialectices Philippi Melanthonis, viri omnium, quos nostra ætas vidit, incomparabilis & longe optimè meriti de Ecclesia Filij Dei, & Scholis omnibus. Quia autem intelligo, exẽplaria hujus nostri libelli apud vos omnia esse jam distracta & diuendita, mitto ad vos atq; dono vobis exemplar hujus nostri libelli puerilis & schola-

scholastici, diligenter jam postremò à me recognitum, & plerisq; in locis auctum, & hunc quoq; cum cæteris nostris, sicut instituistis, ut intelligo, ordine ad scholarum puerilium excudatis. Rogo autem D. Typographos omnes, ut pro sua humanitate & candore, vos, qui omnium primum sumptus olim feciſtis, & nunc maiores facturi estis, nostris opusculis recudendis, studio suo & opera pro Christiana dilectione humaniter & officiose adiuvent & promoveant. Benè & feliciter Valete. Dato Luneburgæ, Anno 1568. die 30. Aprilis.

Vester ex animo addictissimus fautor & frater in Christo dilectus

LVCAS LOSSIVS.

ERVDITIONE, VIRTVTE, ET PIETATE PRAESTANTI ADOLESCENTI HARdeuico Stoterogge, Clarissimi viri D. Nicolai Stoteroggen, Consulis Luneburgensis prudentissimi, filio, Lucas Lossius.

S. P. D.



EST OMNINO *scholastica functio, optime Hardeuice, multi laboris, quod sæpè vidisti, & prudentiam requirit penè singularem in docente, ut felix sit institutio, & accommodata pueritiæ. Ad hæc, nostrum munus, ut molestiæ est plenissimum, ita quoq; præ cæteris vitæ generibus, valdè est contemptum apud plerosq; & expositum multorum vocibus, qui ocium quoddam ignavum interpretantur operas nostras vmbratiles. Adeò ut non immeritò Poëta Satyricus literatores miseros appellârit. Labores quidè & miserias, summumq; contemptum & ingratitudinem vulgi experiuntur quotidiè, qui Scholas fideliter moderantur: sed hos tamen labores tolerabiles aliquo modo reddit pijs Gubernatoribus, cogitatio de voluntate Dei, à quo sciunt se ad utilem, piam & necessariam humano ge-*

neri functionem esse adhibitos. Quare in puerorum cœtu, inter tot difficultates & molestias, etiam quadam cum voluptate versantur: agunt gratias DEO ad illud se vitæ genus vocatos, quod placeat Deo, & in quo operam vtilem Ecclesiæ Dei, & communi vitæ navare possunt: lætantur se custodes esse puerorum, quos ipse filius Dei tam amanter complexus sit, quorum Angeli purissimi & sanctissimi spiritus in cœlis quotidie intueantur faciem æterni Patris, & habeant curam tam solicitam puerorum. Ideo inter tot miserias obœdiunt, etiam cum gaudio, Deo in delegato sibi munere, memores illius liberalissimæ promissionis Christi Seruatoris nostri: Qui hausterit aquæ frigidæ vni ex minimis ipsius miscuerit, non perditurum eum mercedem suam.

Prudentiam verò singularem requirit ideò hæc nostra functio, vt ea statim à primis annis tradantur iuuentuti, quæ vtilia & necessaria sunt. Deinde ea dexteritate & modo illa ipsa proponantur, vt rudiores tradita citò & facile percipiant. Vnde meritò laudatur Epicharmus, de quo illud celebratur, χρῆσιμα ποιοῦν ἔπη. Nã sunt nonnulli, qui ingenij magis sui laudem venantur, tradentes immature discipulis altiora, quàm ipsorum quos instituunt, solidum quærunt profectum in studys. Quare non immeritò tales optimus formandæ iuuentutis artifex Quintilianus reprehendit, quòd ambitiosa festinatione, à posterioribus incipientes, morantur profectum discentium com-

Præceptores infideles

um compendio. Hoc cùm & nos longo iam vsu edocti, intelligeremus, singulari prudentia opus esse in rectè formanda iuuentute, illam à primo statim functionis nostræ tempore cogitationẽ cum alijs Synergis sedulò suscepimus, vt breuib. & perspicuis Erotematis, quasi præformata haberet iuuentus nostra, & artium dicẽdi, & Christianæ κατηχήσεως elemẽta. Nã nulla est vel antiquior, vel accommodatior docendi pueros ratio, quàm illa, quæ Erotematis, seu interrogationibus commodis instituitur. Hoc nostrum consilium & voluntatem, multi boni & docti viri semper probarũt, & iudicarunt nostram rationem docendi vtilem esse scholis. Et sanè, qui integros libros artium dicendi ad Academiarum magis vsum, quàm nostrarũ Triuialiũ Scholarum institutionem puerilem conscriptos fusius, etiam pueris planè rudibus proponendos esse censent, non minus illi stultè facere videtur, quã si citharædũ aliquẽ, tyroni, quẽ nuper is instituendũ fidibus susceperit, difficilimas cantilenas, quas Mutetas vocant, vel Iosquini, vel alterius excellentis Musici, iubeant proponere, quas ille rudis adhuc omnium discipulus, subitò ludendo quasi arriperet, priusquam aut ipsa nomina, aut ordinem chordarum & clauiculorum citharæ exactè habuerit cognita. Sic non vident multi has methodos præceptionum artium puerilium succinctas, valde vtiles & necessarias esse iuuentuti, ante earum iustam & copiosam enarrationem. Versamur nos multos iam annos in hoc formandæ iuuentutis mu-

re,& rationem sequimur traditam nobis quasi per manus,à doctissimo viro D. Hermanno Tulichio Gymnasiarcha olim nostræ Scholæ peritissimo,& postea commendatam nobis eius successoribus, etiam ab inclyto Senatu nostro. Et qui hac nostra docendi ratione progressi sunt non infeliciter in literis,multos proferre in medium possumus,quorum aliqui vel Ecclesiam Dei iam docent, vel partes administrandæ Reipub.sustinent. Cum igitur hæc ratio, quam nos,cum omnibus alijs peritis Scholarum Gubernatoribus, sequimur in docendo, multorum judicio utilis sit adolescentiæ,& nos iam antè in brevem Isagogen Grammatices præceptiones Philippi Melanchthonis nostri redegerimus voluntatis nostræ,idem nunc etiam in cæteris duabus ipsius autoris voluntate,& publica approbatione artibus dicendi,Dialecticæ & Rethoricæ præstitimus: quibus brevissimam etiam epitomen utriusq; Commentarij Erasmi Roterodami, de utriq; Copia verborum & rerum adiunximus. Quem libellum cum id peteret Schola nostra, & comprobaret laborem nostrum ipse Dominus Philippus, & alij,in publicam lucem edi facilè passi sumus. Etsi iam in manibus studiosorum sunt ipsa Erotemata Dialectices Philippi Melanchthonis, longo tempore expectata ab omnibus, tamen sunt in illo ipso utilissimo & eruditissimo libro multa,quæ puerilem educationem excedunt. Ideo brevi aliqua ex ijs selectâ Isagoge, seu compendio, quo nudæ tantùm præceptiones artis conti-

nentur, opus fuit Scholis nostris puerilibus, in quibus prima artium dicendi Elementa tradenda sunt discentibus sine longa enarratione præceptorum.

Nostrum itaq; consilium non dubito, quin & tu,mi Hardenice, una cùm patre tuo, viro optimo & prudentissimo Senatore urbis nostræ,comprobes. Nam institutus es à nobis hac ipsa ratione, cuius in hoc libello,quasi Ideam seu formam quandam agnoscis. in primis Elementis earum artium, quarum cognitio aditum patefacit ad superiores disciplinas. Versaris itaq; iam in studio legum, magna cum omnium admiratione & laude. Quia prima exordia artium dicendi rectè apud nos percepisti in teneris annis,ideo facilis nunc est tibi cursus in omni aliarum disciplinarum genere. Et eam cum patriæ tuæ clarissimæ tum parenti tuo, optimo viro, expectationem concitasti, vt speremus omnes,fore te dignum olim laudatissimæ familia tua, inprimis verò, avo tuo clarissimo viro beatæ memoriæ D. Hardenico Steterogge amplissimo & prudentissimo,ante annos decem,Consule civitatis nostræ, & patre tuo Clarissimo, Senatore, Domino & Scholarcha nostro observando: deinde & patruo tuo Domino Ludolpho Stoterogge, quem virum accepimus fuisse olim in civitate nostra præstanti præditum ingenio,doctrina,variarum artium & cognitione legum insignem & clarum,sed immatura admodum morte ereptum patriæ gravissimo familiæ vestræ dolore,& summo desiderio totius urbis. Hanc no-

nostram conceptam de te tuisq; studijs expectationem atq; spem augent etiam plurimum eximiæ virtutes tuæ, singularis humanitas, ingenuitas morum, modestia, gratitudo erga Præceptores & pietas, quæ omnia suauissime cum incredibili discendi studio coniungis. Adeo, vt non immerito & tu vsurpare, nostra quidem sententia, possis hos elegantissimos versiculos Euripidis:

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας τὰς μούσας
Συγκεραμιγνῦς ἡδίστῳ συζυγίᾳ
Μὴ ζῶ μετ' ἀμουσίας.

Hoc est:

Non cessabo gratias Musis
Miscere dulcissima copulatione
Ne viuere quidem vellem, sine doctrina.

Nam ita suauissimos versus, vt nosti, vertit Philippus noster: & erudite (vt omnia) monet, significare Poëtam, optimum vitæ genus esse doctrinam colere, & ex hac regere vitam consilio, & assumere morum & actionum moderationem. Sed tu etiam propter maiores causas literarum studia coles, nempe, propter gloriam DEI, & salutarem patriæ tuæ administrationem. Ad hoc enim constat nos conditos esse à DEO, & editos in hanc lucem, vt nostris actionibus & studijs totius vitæ iuuemus Ecclesiam Dei. & communem societatem, in qua ab hominibus æternus Pater Domini & liberatoris nostri IESV CHRISTI verè agnoscatur, inuocetur & colatur.

tur. Verùm, quoniam ipse per te has causas ortus nostri rectè intelligis, & ad illas studia tua præclarè jam instituisti, nolo in ijs commemorandis apud te esse longior. Id te vnum rogo, vt hunc libellum, quem tuo nomini præcipue dedicaui, animo grato atq; benefico suscipias, ac fauore tuo iuues scholam nostrã, quæ tuorum quoq; studiorum puerilium alumna fuit. Ego æternum Patrem Domini nostri IESV CHristi ex animo oro, vt studia tua ad gloriam suam, & gubernationem patriæ salutarem dirigat & secundet, & faciat te, vt Poëta Græcus ait:

Μύθων τε ῥητὴρ ἔμεναι πρηκτῆρά τ' ἔργων,

Ad hoc te artium dicendi præcepta non parum iuuabunt, si ad illarum cognitionem rerum etiam noticiam & exercitium styli, quod facis, diligens & assiduam coniunxeris. Vale. Data ex Luneburgo, III. Idus Ianuarij Anno M. D. L.

AD

AD PRAESTANTEM VIRTVTE ET HVMANITATE, GEORGIVM STOTEROGGE, *Patricium Luneburgensem, Dn. Nicolai Stoterogge Consulis Luneburgensis filium, de recognitione prima huius libelli, Lucas Lossius.*

SCitè quidem, ut omnia, Terentius noster, mi Georgi, de vita humana, quæ quasi ludus est fortunæ, dixit:

Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris:
Si illud, quod est maximè opus iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit fortè, id arte ut corrigas.

Monet autem dictum præcipuè duo: Primùm multos esse in deliberationibus humanis, errores & lapsus, qui, propter imbecillitatē humanæ naturæ, caveri & prospici omnes nō possunt. Deinde jubet, ut consilia, quæ non satis rectè cepimus, arte quadam & prudentia corrigamus & emendemus. Hæc commonefactio omnibus est utilis & necessaria. Nam quis tam sapienter vitam suam & consilia instituit, ut nusquā labatur, aut impingat? Quod igitur in gravibus deliberationibus

nibus, viris etiam magnis & sapientibus evenire solet (sicut Ciceronis vox celebratur: Non putaram. Item: Optima quæq; cōsilia pessimè sæpe cadūt) idem & nobis accidit in libello nostro Erotematum Dialectices & Rhetorices, quem ante annos decē Hardevico Stoteroggio fratri tuo, immaturâ morte summo totius civitatis nostræ mœrore, in vera notitia & invocatione filii Dei, in cælestem patriam evocato, dedicatū, ad usum Scholarū Trivialium edidimus. Nam in prima eius editione, ut fieri solet, admissi sunt errores aliqui & quædam desiderata à discentib⁹, quæ utiliter addi potuissēt.

Cum igitur intelligerem, virum honestū & benè meritum de Ecclesia filii Dei & scholis literariis, Dominū Petrum Brubachiū, qui primus libellum hunc nostrum typis suis expressit, denuo excusurum esse, recognovi eum, mendas, quæ paucæ erant, sustuli et addidi præter alia, definitiones alicubi Aristotelis, et aliorū veterū Dialecticorum, quod illæ propter vetustatem habent

habent gratiam maiorem & autoritatem, & plerunq; pleniores sunt. Quia autem, mi Georgi, libell⁹ propter fraternam dedicationem tuus iam erat, quicquid in hac diligēti & necessaria recognitione accessit, tibi dedicare & tradere volui. Neq; dubito, quin & tu cū alijs viris doctis, & scholasticæ institutionis peritis, comprobaturus sis hanc cognitionem libelli nostri, quē opto, sicut & alios nostros, scholis puerilibus esse valde vtilem & gratum. Quare rogo, ut patrocinium eius, tibi quasi per man⁹ traditum & commendatum à fratre optimo, benignè susci pias, meq; & domum meā totam, pari beneuolentia, vt frater, complectaris.

Equidē honestè te, & jure quodam hæreditario existimo posse, & hunc libellum nostrū tibi vendicare, & hæreditatem eius adire. Nam sunt & huius modi τὰ δῶρα nostra literaria, quæ honestam & immortalem famā virtutum eorum, quibus dedicantur, celebrant, & ad posteros transmittunt, non min⁹ habenda in bonis, ἢ κτήματα

quàm

quàm alia bona hæreditaria & κειμήλια speciosa & cara, quæ incerta sunt & momentanea fortunæ dona, sicut inquit Poeta:

Scinduntur vestes, gemmæ frauguntur, & aurum;
Carmina quam tribuunt, fama perennis erit.

Aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, & noster per ipsum, patrem tuum virum sapientia & virtute præstantem, te, & totam familiā vestram honestā & patritiam veterem, iu gloriā sui sanctissimi nominis, & salutarem ac piam gubernationem inclytæ nostræ vrbis, quàm diutissimè conservet incolumes, in vera agnitione & invocatione Dei & filij ipsius Domini nostri IESV Christi, & spiritu suo sancto regat, ducat & protegat. Amen.

Vale, Data Lunæburgæ, Anno M. D. LXI. Cal. Ianuarij.

AD

AD LECTOREM.

QVæ principio in Dialectica & Rhetorica ad ediſcendum proponantur ijs, qui primum has artes diſcere incipiunt, aſteriſcis ſeu notulis quibusdam enotari curavimus: ubi hanc quaſi Ideam animo fuerint complexi, addantur poſtea & reliqua, ut hoc pacto paulatim totum libellum ediſcant. Nam ordine ſimul proponere omnia prorſus rudibus harum artium, incommodum erit & longum etiam, priusquam ad finem libelli perveniri poſsit. Vale.

ERO-

EROTEMATVM DIALECTICES PHILIPPI MELANTHONIS,

breuiter ſelectorum ediſcendi gratia.

LIBER PRIMVS.

LOCI PRINCIPALES libri primi ſex.

1. Definitio Dialectices.
2. Prædicabilia.
3. Prædicamenta.
4. Definitio.
5. Diuiſio.
6. Methodus thematum ſimplicium.

Quid eſt Dialectica?

DIalectica eſt ars, ſeu via rectè, ordine, & perſpicuè docendi, (Germanicè Eine vnterrede kunſt, oder vnterricht kunſt) Cicero ita definit in Bruto.

Dialectica eſt ars, quæ docet rem vniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando

pretando, ambiguam primùm videre, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua vera & falsa iudicantur, & quæ quibus proposita sint, quæq; non sint sequentia.

Quod est proprium Dialectices opus seu officium?

Est recte, ordine & perspicuè docere, hoc est, tradere certam rationem, qua in docendo vtendum est.

Quot sunt huius operis, seu officij partes?

Quatuor. Quæ?

Definire, diuidere, argumenta vera connectere, & mala cohærentia seu falsa dissoluere.

Definimus themata simplicia, quæ ignota sunt & obscura. Diuidimus πολύσημα & ambigua.

Vnde nomen est Dialectices?

A διαλέγομαι, quod est, cum alio collatis opinionibus, placide colloquor. Latinè disputo seu disseco. Jch vnterrede oder vnterrichte.

Quid differunt Dialectica & Rhetorica?

Dialectica circa omnes materias versatur, & rerum summas verbis nudis proponit, sed Rhetorica addit ornatum ijs materijs, quæ orationis copia & splendore illustrari & variè depingi possunt.

DE

DE QVÆSTIONIBVS.

Circa quid versatur Dialectica?

Circa omnes materias seu quæstiones, de quibus docendi sunt homines.

Quid est Quæstio?

Quæstio est res proposita, de qua agitur seu disputatur.

Quotuplex est Quæstio:

Duplex. Quomodo?

Alia est simplex, quæ proprie interrogatio dicitur: Alia est quæstio coniuncta.

Quid est quæstio simplex seu interrogatio?

Est, cum de vno vocabulo quæritur, vt quid sit virtus, quid pœnitentia.

Quid est quæstio coniuncta?

Est cum de oratione aliqua, seu (vt Dialectici loquuntur) de propositione quæritur, vt: an Cometa sit stella, an verò halitus in aere accensus: an Christiano concessum sit militare.

Quomodo tractatur quæstio simplex seu interrogatio?

Explicanda per definitionem & diuisionem, vt cum quæritur de fide, Primùm definienda est fides,

quid sit, certa fiducia misericodiæ promissæ propter Christum. Deinde dicendum, quòd alia fides sit Christiana, seu fides justificans, alia politica seu ciuilis, non iustificans.

Quomodo tractatur quæstio coniuncta?

Argumentis veris confirmanda est, & monstranda est falsitas in contrarijs, quæ fucosa specie veritati opponuntur: ut, cum Diuus Paulus in epistola ad Romanos quæstionem seu propositionem, Hominem iustificari fide gratis propter Christum, confirmat testimonijs scripturæ, exemplo Abrahæ, & ab effectu fidei, pace seu tranquillitate conscientiæ, & refutat Pharisaicam opinionem de justitia operum ab effectu seu officio legis, arguendi peccata & damnandi, sicut inquit: Per legem est cognitio peccati. Et lex iram operatur.

Quot sunt summa capita Dialectices?

Novem.	Quæ?
1. Prædicabile	6. Argumentatio
2. Prædicamentum	7. Locus Dialecticus
3. Definitio	8. Ratio dissoluendi vitiosa argumenta
4. Diuisio	9. Et fallaciæ.
5. Propositio	

DE

DE PRÆDICABILIBVS.

Quid sunt prædicabilia?

Prædicabilia sunt tituli vocabulorum communium, quæ ostendunt quæ vocabula quomodo alijs recte attribuuntur, vt homo tribuitur Platoni vt species: animal homini, vt genus: rationale vt differentia: loqui, vt proprium: esse mortalem, vt accidens.

Dic definitionem veterem?

Prædicabile est vox, quæ de pluribus prædicari potest vniuocè, hoc est, eodem nomine, & definitione, vt homo de Platone, animal de homine.

Cur initio Dialectices doctrina Prædicabilium traditur?

Quia ostendunt gradus & cognitiones vocabulorum, quorum angustiora in definitionibus per aliqua communiora declarantur.

Quot sunt Prædicabilia?

Quinq;	Quæ?
	Species, Genus, Differentia, Proprium, Accidens.

(Quæ etiam vniuersalia vocantur, quia gradus sunt vocabulorum communium.)

Vnde dicta sunt prædicabilia?

A verbo prædicari, quo Dialectici pro tribui seu dici aliquid de alio, vsi sunt, vt cum dicitur: Verres est fur, hic furtum tribuitur Verri, seu de Verre dicitur

citur. Græci κατηγορήματα vocant, à verbo κατηγορέω, quod inter alia significat accuso. Vnde vox κατηγορία dicta est, quam Latini Dialectici prædicamentum verterunt.

Quid est Species?

Species est nomen commune proximum indiuiduis, de quibus prædicatur in quæstione, quid sit? vt: cum quærimus quid sit Plato? Respondetur, est homo. cum quærimus quid sit Bucephalus? respondetur, est equus. Aliter, Species est quæ de pluribus & differentibus numero in eo, quod quid est, prædicatur, vt homo de Socrate & Platone. Differentia numero dicuntur individua, quæ sub vna specie aut diuersa continentur, vt Petrus, Paulus sub homine.

Quid uocatur individuum?

Nomen proprium, aut vna res significata nomine proprio sub certa specie seu ostensa particula demonstrãte. Vt Camillus, hic homo, hæc herba: Est igitur Individuum triplex. Simplex vox vnica, vt Plato, ostensum particula demonstrante, & circumscriptum periphrasi, vt Troiani belli Scriptor, hoc est, Homerus, Apostolus Tarsensis, id est Paulus.

Quid est Genus?

Genus est nomen commune multis speciebus & prædicatur de eis in quæstione, quid sit, vt cum quæritur, quid sit equus? respondetur, Est animal: quid Libanotis, respondetur, Est frutex.

Aliter, Genus est, quod de pluribus & differentibus

tibus specie, in eo, quod quid est, prædicatur, vt animal de homine, de leone & equo. Nam si quæratur, quid est homo, quid leo, quid equus, de vnoquoq; recte respondetur, quod est animal. Specie differunt, quæ sub eodem genere collocantur, vt homo, Leo, sub animali.

Quomodo differunt species, item Genera?

Species infimæ dicuntur species specialissimæ, vt homo, equus: Summum genus vocatur genus generalissimum, vt substantia, quantitas, qualitas, relatio.

(Inter hæc, cætera dicuntur species superorũ, & genera inferiorum, vt animal dicitur species relatum ad corpus animatum, genus relatum ad hominem.)

Quid est differentia?

Differentia est, quæ cum genere constituit certam speciem, & de specie prædicatur in quæstione, quale sit, vt rationale constituit speciem, videlicet, hominem, & ostendit qualis sit species.

Aliter: differentia est, quæ de pluribus differentibus specie in eo, quod quale quid est, prædicatur, vt rationale de homine. Aliter hoc modo: Differentia est, quæ diuidit atq; dispescit ea, quæ sub eodem genere posita sunt, vt rationale hominem separat ab equo & leone, cæterisq; animalibus omnibus, quæcunq; rationis expertia sunt.

Quutuplices sunt differentiæ?

Duplices. Quomodo?

Quædam sunt generales, quæ multis speciebus conueniunt, vt sentiens conuenit homini & cunctis animantibus. Quedam sunt specificæ & vltimæ quæ vni tantùm homini.

Quid est Proprium?

Proprium est inclinatio aut quiddam adiacens quod vni soli speciei & semper & omnibus indiuiduis ejus inest, vt loqui, numerare, incedere erecto corpore, propria sunt hominis, de potentia intellecta, non semper de actu.

(Nam verba in definitionibus sæpe potentiam significant, non actum, vt incedens, id est, quod potest incedere erecto corpore, & ad eum positum & motum conditum est.)

Aliter. Proprium est prædicabile, quod de sola sua specie conuersim, & de ijs, quæ sub ea sunt, prædicatur, in quali accidentali, vt risibile de homine.

Proprium quatuor modis dicitur?

Versus
Est medicus bipes canescens vltima rides.

1. *Quod vni speciei conuenit, sed non omni, vt esse jurisperitum, homini.*
2. *Quod omni conuenit, sed non soli, vt esse bipedem, quales etiam sunt aues & gallinæ.*
3. *Quod soli & omni conuenit, sed non semper, vt canescere homini, in senectute.*
4. *Quod omni, soli, & semper conuenit, vt risibile, homini.*

Quid

Quid interest inter Differentiam & Proprium?

Differentia significat partem constituentem, vt rationale significat mentem, quæ est pars hominis. Sed proprium significat quiddam sequens constitutum, vt posse incedere erectum, posse loqui & numerare, non constituunt hominem, si sequuntur constitutionem ejus.

(Sæpe propria pro differentijs vsurpantur. Quia enim differentiæ proprissime sic dictæ lateant, summus discrimina rerum a proprijs affectionibus sæpe ab accidentium coacervatione, vt in descriptione plantarum & lapillorum, vt Magnes est lapis, trahens ferrum, seu Magnes est lapis, qui sua natura mouetur ad Arctos.)

Quid est Accidens?

Accidens est, quod non per sese subsistit, nec est pars substantiæ, sed in alio inest mutabiliter, vt calor & frigus in aqua, noticiæ in mente, albedo in pariete.

Aliter. Accidens est, quod adest vel abest præter subiecti corruptionem. Item: Accidens est, quod contingit eidē inesse, & non inesse, vt homini album esse, & non esse album, sedere & stare.

Quotuplex est accidens?

Accidentium alia sunt separabilia, vt frigus ab aqua, notitiæ à mente, lætitia, tristitia à corde. quæ actu possunt separari a aliqua.

Alia sunt inseparabilia, vt quantitas seu magnitudo à substantia corporea, calor ab igni, humiditas ab aqua non separantur.

Quotuplicia nomina sunt accidentium?

Duplicia,

Quomodo.

Alia dicuntur abstracta, alia concreta.

Quæ sunt abstracta?

Substantiva (vt Grammatici loquuntur) quibus nudæ species seu formæ per se consideratæ significantur, vt albedo.

Quæ sunt concreta?

Adiectiva, quæ significant subiectum habens formam, vt album.

(Per hæc, accidentia de subiectis dicuntur, paries est albus, non, paries est albedo.)

Quæ est vtilitas doctrinæ prædicabilium?

Vsus præcipui sunt quatuor.

Quis est primus vsus?

Quod discernunt gradus vocabulorum in serie cuiusq;

cuiusq; prædicamenti, vt intelligatur, quod eorum sit genus, quod species & indiuiduum.

Quis est Secundus?

Quod ostendunt, quæ in connexione coniungi possunt, seu quæ voces, de quibus secundum communem naturæ ordinem prædicentur, vt aut de indiuiduo species, aut de specie vel indiuiduo genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens prædicatur.

Quis est Tertius?

Quod prosunt ad definitiones, quia semper angustiora vocabula definiuntur per aliqua communiora, vt per genus, aut per accidentia, item per differentiam & proprium.

Quis est Quartus?

Quod discernunt propositiones, quæ necessariò cohærent, & quæ contingenter.

Quæ cohærent necessariò?

Quæ factæ sunt ex specie, genere, differentia & proprio, vt homo est animal, homo est rationalis, homo est qui loquitur.

Quæ cohærent contingenter?

In quibus accidens prædicatur de subiectis, vt Phalaris est tyrannus, paries est albus.

DE PRÆDICATIONE.

Quid est prædicatio?

Est, *in propositione attribui prædicatum subiecto, vt Deus est essentia spiritualis, hic essenti a spiritualis attribuitur Deo, tanquam prædicatum suo subiecto.*

Quotuplex est Prædicatio?

Duplex, *Quomodo?*

Vera & falsa.

Quid est prædicatio vera?

Est, *quæ cum re, de qua aliquid affirmat aut negat, consentit, vt homo est animal. lapis est grauis.*

Quid est Prædicatio falsa?

Est, *quæ à re dissentit, vt, terra mouetur, homo est lapis.*

Quot sunt diuisiones Prædicationis veræ?

Tres.

Quæ est prior?

Prædicatio vera, aut est regularis, aut figurata, aut inusitata.

Quid est Prædicatio regularis?

Prædicatio regularis est, quæ congruit ad aliquem modum ex quinq; Prædicabilibus, id est, vbi species de indiuiduo, aut de specie vel indiuiduo genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens prædicatur.

Quæ

Quid est Prædicatio figurata?

Est, *in sermone improprio, vbi tamen sententia vera est significata similitudine, vt in Metaphora, aut significata continente, vt in Synechdoche, vt tyrannus est lupus, id est similis lupo. Christus est agnus, id est, est similis agno, quoniam est victima. Iohannes est Elias, id est, est similis Eliæ, gerens simile munus, emendans Ecclesiam magno impetu Spiritus.*

Quid est prædicatio inusitata?

Est, *in propositionibus, de filio Dei, quarum non sunt exempla in tota rerum vniuersitate similia, vt: Deus est homo. Verbum est factum caro.*

Quæ est secunda prædicationum diuisio?

Prædicationum alia est essentialis, alia causalis, alia accidentalis.

Quid est prædicatio essentialis?

Est *cum idem prædicatur de seipso, vt Deus est spiritus æternus. Aut de indiuiduo species, vt Plato est homo. vel de specie aut indiuiduo genus, vt homo est animal, Bucephalus est animal. Aut differentia, vt homo est rationalis, seu tota definitio, vt virtus est habitus bonus inclinans voluntatem ad agendum secundum rectam rationem.*

Quę

Quæ est Prædicatio causalis?

Est cum causa nominatur, quæ si est interior, id est materialis, prædicatio essentialis est, vt panis est triticeus, Si est efficiens aut finalis, propriè prædicatio causalis dicitur, vt homo est creatura Dei, id est, Deus creavit hominem: Homo constitutus est, vt Deum agnoscat & celebret.

Quæ est Prædicatio accidentalis?

Est, quando accidens de subiecto dicitur, vt, vinum est dulce. Vinum est austerum, Cicero est orator.

Quæ est tertia diuisio Prædicationum?

Prædicationum aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes.

Quæ sunt Prædicationes necessariæ?

Sunt quæ non possunt se aliter habere, vt sunt, in quibus genus aut differentia, aut proprium, aut tota definitio de specie dicitur.

Quæ sunt Prædicationes contingentes?

Sunt, in quibus accidentia de subiectis dicuntur, vt paries est albus: etiam, cum de præteritis dicitur, vt Iulius vicit Pompeium, Paris rapuit Helenam.

DE PRÆDICAMENTIS.

Quid est Prædicamentum?

Prædicamentum est ordo generum & specierum sub vno genere generalissimo, quod aut substantiam aut accidens aliquod significat. ↓

Aliter: Prædicamentum est terminorum, qui secundum nullam complexionem dicuntur, naturæ rerum ordinatio, hoc est, series, in qua ratione rerum, termini incomplexi, id est voces simplices, alij alijs subijciuntur, alij de alijs prædicantur. Definitio est Trapezuntij.

Quod est discrimen Prædicabilium & Prædicamentorum?

Prædicamenta sunt rerum appellationes, vt animal, homo: sed prædicabilia sunt ipsarum appellationum distinctiones, vt genus, species.

(Vel, Prædicabilia sunt veluti tituli discernentes gradus seu series in prædicamentis, vt agnosci possit, quod nomen sit communius, vt animal, genus, quod augustius, vt homo, species.)

Quæ est vtilitas Prædicamentorum?

Est hæc: Primum ostendunt discernendam esse substantiam ab accidentibus, & discernenda absoluta à relativis. Secundo monstrant, vbi & in quibus

bus domicilijs quærenda sint genera definitionum quæ in omni explicatione primum constituenda sunt.

Quot sunt Prædicamenta?

Decem	Quæ?
1. Substantia	6. Passio
2. Quantitas	7. Quando
3. Qualitas	8. Vbi
4. Relatio	9. Situs
5. Actio	10. Habitus.

(Quæ etiam genera generalissima dicuntur, hoc est, summa, quia ab his proxime acceditur, ad vocabulum, quod inter omnia, in rerum natura primum est, videlicet, ad Ens.)

Murmelij versus de decem Prædicamentis:
Arbor, sex, servos, servore, refrigerat, vstos,
Ruri, cras stabo, nec tunicatus ero.

Arbor ostendit prædicamentum substantiæ: sex, quantitatis, servos, relationis: servore, qualitatis: refrigerat, actionis. vstos, passionis: ruri, ubi: cras, quando: stabo, situs, tunicatus, habitus.

Quæ est prima diuisio Entis?

Hæc est: *Ens aut est substantia, aut est accidens.*

DE

DE SVBSTANTIA.

Quid est Prædicamentum Substantiæ?

Est substantiarum ordo.

Quid est Substantia?

Substantia est Ens, quod habet proprium esse, & sustinet accidentia, per quæ mens humana substantiam agnoscit, vt homo, equus. Aliter: Substantia est quæ per se subsistit, alio neutiquam indigens, vt sit. Definitio est Damasceni.

Quotuplices sunt Substantiæ?

Duplices. — *Primæ & Secundæ.*

Quæ sunt substantiæ primæ?

Sunt individua, vt, hic homo, hic equus, quæ neque de subiecto dicuntur, neq; subiecto insunt, & sensibus primæ occurrunt.

Quæ sunt Substantiæ secundæ?

Sunt species, & genera, vt homo, equus, animal, in quibus primæ Substantiæ, hoc est, individua insunt.

Hæ sine substantijs primis existere non possunt, iuxta dictum Aristotelis: Destructis primis substantijs, nihil est reliquum.

Recita ordinem Substantiarum.

SVBSTANTIA;

Corporea. Incorporea.

Simplex, Mista, Infinita. Finita.
Cœlum, Stellæ, ex elementis *Deus,* *Angeli,*
elementa. *composita.* *animæ.*

Perfectè mista Imperfectè mista.
vt fulmina, vapores.

Animata, Inanimata.
gemma, *lapis.*

Sentiens, Non sentiens.
Animal, *vt plantæ.*

Rationale, Irrationale.
Homo *Equus,*
Plato, *Bœbus.*

(Partes ponuntur in eodem ordine, in quo collocatur totũ ut caput. pedes. pectus, sunt partes animalis, & revera sunt substantiæ. Item privativa nomina referuntur ad domicilia earum rerum. quibus opponuntur. vt lux est qualitas. Ad idem igitur domicilii & tenebræ referuntur. Ita & hic cadaver refertur ad prædicamenti seriem. ubi animal recensetur.)

Quot sunt proprietates Substantiæ?

Tres.

Quæ est prima proprietas?

Substantiæ non sunt in subiecto, vt accidentia,

sed ipsæ sustinent accidentia, & proprium esse habent.

Quæ est secunda?

Substantia non recipit magis aut minus, ut Hercules non est magis homo quam Paris, etsi accidentibus valde differunt.

Quæ est tertia?

Substantiæ diversæ non dicuntur contrariæ, sed disparatæ, ut ignis & aqua, lupus & ovis.

(Nam contrarietas proprie qualitatibus inter se pugnantibus tribuitur.)

DE PRÆDICAMENTO Quantitatis.

Quid est Prædicamentum quantitatis?

Est quantitatum ordo.

Quid est Quantitas?

Quantitas est magnitudo rei vel numerus. Aliter: Quantitas est secundum quam in partes quippiam dividitur.

Quæ est prima Divisio quantitatis?

Alia est quantitas continua, alia discreta?

Quid est quantitas continua?

Est magnitudo corporum, videlicet longitudo, latitudo & profunditas. Aliter iuxta Aristotelem: Quantitas continua est, cuius partes ad eundem terminum communem copulantur. ut lineæ ad punctum, ad lineam superficiei, & ad superficiem ipsius corporis.

Quot sunt species Quantitatis continuæ?

Tres *Quæ?*

Linea, Superficies, Corpus.

Quid est Linea?

Est longitudo rei sine latitudine & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta (die Lenge)

Quid est Superficies?

Est longitudo & latitudo sine profunditate, (die Breite.)

Quid est Corpus?

Est longitudo, latitudo, & profunditas, (die Dicke.)

(Corpus in substantia aliud significat, videlicet, rem quæ habet materiam, ut cœlum & elementa, aut mista ex elementis. In quantitate corpus significat magnitudinem, cogitatione distinctam a materia. Illud Physicum corpus vocatur: hoc Mathematicum.)

Quid est Quantitas discreta?

Est, cum quærimus quot res sint, vel est multitudo rerum. Aliter: Quantitas discreta est, cuius partes ad nullum terminum communem copulantur, sed à se invicem seiunctæ sunt atq; discretæ.

Quot sunt species quantitatis discretæ?

Duæ. *Quæ?*

Numerus & Oratio.

Quid est Numerus?

Est multitudo ex unitatibus collecta, ut duo, tria, quatuor.

Quid est Oratio?

Est (ut Grammatici finiunt) integræ sententiæ explicatio. ✝.

Cur Oratio in hoc prædicamento recensentur?

Quia in oratione sunt diversa intervalla syllabarum & dictionum, & in numeris, & mensuræ diversæ, ut aliæ syllabæ sunt longæ, & aliæ breves.

Quot sunt proprietates Quantitatis?

Tres.

Quæ est prima proprietas?

Quantitatibus propriè conveniunt relationes, æquale & inæquale, par & impar.

Quæ est secunda?

Quantitatum per se nulla est efficacia seu effectio.

Quæ est tertia?

Quantitates non recipiunt magis & minus, sed maius & minus.

Quantitas est duplex:
- Continua cuius species sunt tres:
  1. Linea.
  2. Superficies.
  3. Corpus.
- Discreta, cuius sunt species duæ:
  1. Numerus & 2. Oratio.

DE PRAEDICAMENTO Qualitatis?

Quid est Prædicamentum Qualitatis?

Est qualitatum ordo.

Quid est Qualitas?

Qualitas est forma per quam substantia est efficax: seu quæ movet sensus, ut virtus, color, & similes. Aliter, Qualitas est, secundum quam, quales esse dicimur, ut secundum Musicam, Musici: secundum albedinem, albi.

Quot sunt species qualitatis?

Quatuor. *Quæ?*

Habitus, potentiæ naturales, affectus & figura.

DE PRIMA SPECIE Qualitatis, de Habitu.

Quid est Habitus?

Habitus Græcè ἕξις, est qualitas comparata ex crebris actionibus, in hominibus, qua rectè & facile homines

homines efficere actiones illas possunt, quæ à suo habitu gubernantur, & adivvantur, vt ars pingendi, facultas prudenter & ornatè dicendi.

(Habitus non inest in omnibus naturis, sed tantum in rationali, quia hæc tantum assuefieri potest. Et perfectus habitus tum fit, cum homo ad certas artes seu virtutes a natura impetum habet, quib. excitatis studio & doctrina, citiò habitus arripitur, & fit ardentior & firmior.)

Quomodo dividitur habitus?

Sunt alij habitus corporis ut palestrica, saltatoria, jaculatoria: Alij animæ, vt ars Poëtica, justicia.

Quotuplex est habitus animæ?

Duplex. *Quomodo?*

Alius est habitus intellectus, ut artes: alius voluntatis, ut virtutes.

DE HABITIBVS intellectus.

Quod est genus habituum intellectus?

Noticia.

Quotuplex est Noticia?

Duplex. *Quomodo?*

Alia est noticia obiecti simplicis, ut recordatio Caroli Imperatoris: Alia est noticia propositionum, quibus assentimur aut non assentimur, ut justicia est virtus, terra movetur.

Quotuplex est noticia propositionum?

Duplex. *Quomodo?*

Alia est noticia certa, alia incerta, quæ dicitur opinio & suspicio, quæ opinione infirmior est.

Quæ est noticia incerta?

Noticia incerta est, cum agnitam propositionem non amplectimur firma assensione, sed languidè partem unam magis probabilem esse existimamus.

Quæ est noticia certa?

Noticia certa est, cum agnitam propositionem firma assensione amplectimur, ut ignis calet, virtus est colenda.

Quas habet species certa noticia?

Noticiam principiorum, scientiam, artem, prudentiam & fidem. ✣.

Quid est noticia principiorum?

Est agnoscere principia luce mentis nobiscum nata, & firmo assensu ea amplecti naturali iudicio, vt, Totum est maius qualibet sua parte. Societas humana est conservanda.

Quid est Scientia?

Est noticia vera conclusionum, quibus propter demonstrationem firmiter assentimur, ut Cœlum est finitum.

Quid est Ars?

Est

Est noticia vera faciendorum, ut Architectonica, sicut artem Aristoteles definit, qui eam à scientia discernit.

(Sed sæpe vocabula scientiæ & artis promiscue usurpantur.)

Quid est Prudentia?

Est noticia vera, quæ secundum rectam rationem regit deliberationes in electione honestarum actionum, & rerum utilium.

(Species prudentiæ sunt legum & aliorum præceptorum honestorum notitiæ.)

Quid est Fides?

Est noticia propositionum certarum, quas firma assensione amplectimur propter asseverationem testium veracium.

DE HABITIBVS Voluntatis.

Quę est Divisio habituum voluntatis?

Habitus voluntatis alij sunt boni, vt virtutes, alij sunt mali, ut vitia.

Quid est virtus?

Est habitus bonus inclinans voluntatem ad agendum secundum rectam rationem, ut Justicia, fortitudo, modestia.

Quid est vitium?

Est habitus malus, inclinans voluntatem ad agendum contra rectam rationem, vt injusticia, immodestia.

(Recta ratio dicuntur sententiæ de honestis actionibus, hominum animis divinitus insitæ, ut Deus est colendus, honorandi sunt parentes, reddenda est gratia bene meritis, &c.

Quotuplices sunt virtutum species?

Duplices. *Quomodo?*

Aliquæ sunt propriæ Ecclesiæ Dei: aliquæ communes cum alijs hominibus.

Quę sunt virtutes propriæ Ecclesię Dei?

Fides, spes, dilectio Dei, timor Dei, & tolerantia. ✝.

Quid est Fides?

Est noticia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam à Deo traditam Ecclesiæ, & in hac etiam promissionem reconciliationis cum Deo,

Quid est Spes?

Est expectatio vitæ æternæ propter filium DEI certa, & expectatio auxilij & mitigationis calamitatum in hac vita, juxta consilium DEI.

Quid est dilectio Dei?

Est obœdientia in omnibus præceptis Dei in vera fide, principaliter ut ipsum honore afficiamus.

Quid

Quid est timor Dei?

Qui vocatur timor servilis est habitus inclinans, ut revera expaveſcamus agnitione iræ Dei, & pœnarum, sed cum accedit fides, qua corda in pavoribus eriguntur consolatione, & accedunt ad Deum, fit virtus & timor filialis.

Quid est Tolerantia?

Est virtus obœdiens Deo in ærumnis, quas docet perferendas esse ita, ne fracti dolore, faciamus contra mandata Dei,

Quæ sunt virtutes communes Ecclesiæ Dei cum hominibus?

Iustitia vniuersalis & particularis, veritas, modestia, fortitudo, & species justiciæ, ut gratitudo, sedulitas, amicitia. ✝.

Quid est iustitia universalis?

Est obœdire omnibus legibus.

Quid est iusticia particularis?

Est virtus suum cuiq; tribuens.

Quid est Veritas?

Est virtus, quæ inclinat voluntatem, ut veras sententias amemus, vera constanter dicamus & tueamur, & in ipsa vitæ specie vitemus simulationes & occultationes.

Quid est Modestia?

Est virtus, qua in opinione de nobis, & in sermone & gestus servamus continentiam.

Quid

Quid est Fortitudo?

Est virtus depellens pericula, quæ recta ratio iubet depellere, & ita perferens ærumnas, quas rectæ ratio jubet perferre, ne fracti dolore, faciamus contra justiciam, aut alias virtutes.

SPECIES IVSTICIAE.

Quid est Gratitudo?

Est species justitiæ reddens pro beneficio vicissim debitam benevolentiam, & aliqua officia.

Quid est Sedulitas?

Est species justiciæ suos cuiq; labores tribuens.

Quid est Amicitia?

Est species justiciæ pro vera benevolentia reddens veram benevolentiam & præstans mutua quædam officia pro modo facultatum, liberali pectore, virtutis causa.

SECVNDA SPECIES Qualitatis.

Quæ est secunda species Qualitatis?

Naturales potentiæ & impotentiæ.

Quid sunt naturales potentiæ?

Naturales potentiæ sunt vires non accersitæ, aut arte in substantias transfusæ, sed in eis natæ, ut sint

sint causæ certarum actionum, vt in Magnete potentia trahendi ferrum: in vino calefaciendi corpora, quæ potant.

Quid sunt naturales impotentiæ?

Naturales impotentiæ sunt qualitates seu virium per naturam defectus, quibus substantiæ reddantur inhabiles; seu ineptæ ad acquirendum habitum, vt est indocilitas in brutis. ♆.

Quid monent Dialectici tradentes hanc speciem?

Monent discerni nativa ab accersitis, ut sciamus, quæ res humana diligentia parari possint, & quæ non possint parari.

Quomodo differunt naturales potentiæ & habitus?

Naturales potentiæ insunt à natura: habitus parantur arte & assuefactione seu usu.

TERTIA SPECIES Qualitatis.

Quæ est tertia species qualitatis?

Passio & passibilis qualitas, hoc est, affectus, & aliæ

aliæ qualitates, quæ sunt propriæ sensuum obiecta: vt lux & tenebræ sunt obiectum visus.

Sonus, obiectum auditus,
Odor, obiectum olfactus,
Sapor, obiectum gustus.

Obiectum tactus, quatuor primæ qualitates, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, & multæ ex his ortæ, ut asperum, glabrum, leve, molle, durum, & reliquæ qualitates secundæ.

Quid est affectus?

Affectus est motus cordis sequens cogitationem & ea excitatus, quo cor aut prosequitur, aut fugit obiecta.

Quotuplices sunt affectus?

Duplices. Quomodo?

Durabiles: qui sunt similes habitibus, ut amor, odium, misericordia. Alij sunt motus subiti, vt iræ, qui revera ad prædicamentum passionis congruunt.

Quæ sunt species affectuum?

Lætitia, tristitia, spes & metus.

(Ex quibus permixtis alij oriuntur, ut amor, odium, ira.)

Quid est Lætitia?

Est suavis motus cordis, qui excitatur, cum cor bonum futurum prosequitur.

Quid est Tristitia?

Est

Est cruciatus cordis compressi tanquam fugitantis præsens malum.

Quid est Metus?

Est cruciatus cordis compressi, tanquam fugitantis futurum malum.

QVARTA SPECIES Qualitatis.

Quæ est quarta species Qualitatis?

Figura.

Quid est Figura?

Est proprie modus aut positus quantitatum, ut circulus, triangulum, quadrangulum. ✝.

Quæ sunt proprietates qualitatis?

Tres

Quæ est prima proprietas?

Contrarietas proprie est qualitatum inter se pugnantium, ut caliditatis & frigiditatis, quæ sunt sub eodem genere.

Quę est secunda?


Qualitas recipit magis & minus, vt calor in eodem corpore alias maior, alias minor est.

Quæ est tertia?

Multæ relationes oriuntur ex qualitatibus, ut simile, dissimile, lex, peccatum, pœna, gloria, & alia permulta,

Tabu-

TABVLA PRÆDICAmenti Qualitatis.



2. Natu-

2. Naturales potentiæ & impotentiæ.
- Corporis, & memborum eius, plantarum energiæ, vt vini calefaciendi corpora.
- Animi, vt docilitas in homine, indocilitas in brutis.

3. Passio seu affectus, cuius species quatuor sunt præcipuæ.
- Lætitia
- Tristitia
- Spes
- Metus

Passibilisqualitas, hoc est sensuum obiecta.
- Lux & color — obiectum — Visus
- Sonus — Auditus
- Odor — Olfactus
- Sapor — Gustus

Qualitates primæ, Tactus
- vt Caliditas
- Frigiditas
- Siccitas
- Humiditas, & ex his ortæ.

4. Figura
- Naturalis, vt figura cœli rotunda.
- Artificialis, vt figura mensa quadrata.

WBP Opole

DE RELATIONE.

Quid est Prædicamentum Relationis?

Est ordo vocum, quæ per collationem intelliguntur, ut pater, filius, dominus, servus.

Quid est Relatio?

Relatio est aut applicatio rerum, aut ordinatio, aut collatio, ut calefactio, paternitas, similitudo, & similia.

REGVLAE DE RELATIVIS SEPTEM.

Quot sunt Regulæ de relativis nominibus?

Septem præcipuæ.

Quæ est prima Regula?

Nomina alia dicuntur absoluta, alia Relativa.

Quæ dicuntur absoluta?

Quæ significant substantias, aut quantitates, aut qualitates, ut homo, linea, virtus,

Quę dicuntur Relativa?

Quæ per collationem tantum intelliguntur, ut pater filius: servus, dominus: maritus, uxor: præceptor, discipulus.

Quæ est secunda Regula?

Omne relativum versatur inter duo, quorum alterũ vocatur fundamentum, alterum terminus.

Quid

Quid est Fundamentum?

Est res, a qua oritur relatio, ut persona, quæ genuit.

Quæ est terminus?

Est res, ad quam tendit relatio, ut persona genita.

(*Inter hæc duo, relatio, est ipsa applicatio seu ordo fundamenti ad terminum, ut limitis fundamentum est lapis. Terminus, significatũ, distinctio agrorum. Relatio est ordo lapidis ad significandam hanc distinctionem agrorum.*)

Quæ est tertia Regula?

Alia sunt relativa secundum dici, alia secundum esse.

Quæ vocantur relativa secundum dici?

Absoluta, quibus adhærent respectus ut quibusdam nominibus habituum & affectum, ut amor est rei amatæ amor. Ira intuetur eum, cui irascitur: fiducia intuetur id, cui nititur.

Quæ vocantur relativa secundum esse?

Propriè dicta relativa, ut similitudo, paternitas & id genus alia.

Quę est quarta Regula?

Cuilibet relativo respondet suũ correlativum, ut cum dicitur, Cambyses est filius, nihil intelligi potest nisi addatur, cuius sit filius, ut Cãbyses est filius Cyri

Quæ est quinta Regula?

Fundamentum vocatur materiale relationum, formale dicitur ipse ordo ad terminum, vt materiale limitis est lapis, formale est ordinatio, ad significandam distinctionem agrorum.

(Sæpe manent fundamenta, extinctis relationibus, vt lapis in agro relinqui potest, etiamsi non amplius, vt antea, fungitur limitis officio. Sic in Baptismo remittitur peccatum originis; id est, formale, hoc est, reatus, sed manet materiale, id est ipse morbus, seu ipsa infirmitas in homine, seu inclinatio contra legem Dei.)

Quæ est sexta Regula?

Sæpe vtimur relativis loco absoluti, ut cum voluptatem pro ipsis actionibus suavibus accipimus, Temperamentum pro ipsis qualitatibus sic inter se iunctis & temperatis.

Quæ est septima Regula?

Relationum aliæ sunt reales, aliæ rationis.

Quid sunt relationes reales?

Sunt apellationes seu ordo, qui à natura oritur, etiamsi nullius cogitatio accedit, vt calefactio, seu ordo inter patrem & filium.

Quid sunt relationes rationis?

Sunt quæ non à natura oriuntur, sed tantum sunt

sunt cogitationis seu voluntatis instituta, ut relatio in limite tantum decreto hominum instituitur.

(Ita Magistratuum & servitutum appellationes sunt relationes rationis, ut Rex, Consul, Dux, Miles, Dominus. Servus & similia.)

Genera seu Classes relationum.

Quot sunt classes seu genera relationum?

Tria. *Quæ?*

Aliâ relativorum oriuntur ex substantia, alia ex qualitatibus, alia ex quantitatibus.

EX SVBSTANTIA.

Quotuplicia relativa oriuntur ex Substantia.

Duplicia. *Quomodo?*

Alia oriuntur ex actionibus naturalibus, vt causa, effectus, pater, filius. Alia ex actionibus voluntatis, quæ duplicia sunt, Personarum, ut dominus, servus, Et rerum, ut commune, proprium, alienum, jus, dominium.

EX QVALITATIBVS.

Quo upticia sunt Relativa, quæ oriuntur ex quantatibus?

Triplicia.	Quomodo?

Alia oriuntur ex omnibus qualitatibus, ut causa, effectus, simile, dissimule: Alia ex notitijs, ut verum, falsum: Alia ex virtutibus & vitijs, ut honestum, præmium, gloria, peccatum, pœna, pax, bellum.

EX QVANTITATIBVS.

Quæ oriuntur ex quantitatibus?

Par, impar, æquale, inæquale, dimidium, totum, duplum, triplum, &c.

Tabul.

Tabula prædicamenti Relationis

- Relativorum nominum à lia oriuntur ex
  - 1. Actionibus Substantiæ.
    - Voluntatis quæ discrimina facit.
      - Naturalibus, ut causa, effectus, pater filius.
      - Personarum, ut dominus, servus, maritus, uxor.
      - Rerum, ut commune, proprium, alienum, servitus, libertas, contractus.
    - Notitijs ut verum falsum, lex.
  - 2. Qulitatibus.
    - Virttibus & vitijs, ut
      - Honestum, peccata: præmium, gloria, pœna, pax, bellum.
    - Omnibus qualitatibus,
      - Causa, effectus, simile, dissimile, perfectum, imperfectum.
  - 3. Quantitatibus.
    - Continua, æquale, inæquale, totum, dimidium.
    - Discreta, ut par, impar, duplum triplum.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

Quid est Prædicamentum Actionis & Passionis?

Est ordo vocum, quæ actionem aut Passionem significant, vt Gignere & gigni.

Quid est Actio?

Actio est applicatio agentis ad patiens, qua fit mutatio aliqua in patiente, vt calefacere.

Quid est Passio?

Passio est nomen correlativum actionis, & significat receptionem actionis & effectus novi in patiente, vt calefieri. ✝.

Quæ vocabula hic collocantur?

Verba & nomina verbalia significantia motum.

Quid est motus?

Motus est agitatio substantiæ, qua acquirit aliquem terminum. Est autem terminus, a quo incipit motus, & in quem progreditur, finiturq; idem motus: Est igitur terminus duplex, à quo, vnde incipit motus & ad quem, quò tendit motus.

Quot numerantur vsitatæ species motus?

Sex. *Quæ?*

Generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, motus localis.

Quid

Quid est Generatio?

Est motus à non esse ad esse, vt cum ex ovo generatur pullus.

Quid est Corruptio?

Est motus ab esse ad non esse, ut cum homo moritur, & à vermibus corrumpitur.

Quid est Augumentatio?

Est mutatio, qua aquiritur maior quantitas.

Quid est Diminutio?

Est mutatio, qua fit minor quantitas.

Quid est Alteratio?

Est motus, quo alia qualitas acquiritur, ut calefactio, frigefactio, dealbatio.

Quid est motus localis?

Est motus, quo subinde aliud spacium occupatur.

DIVISIO ACTIONVM.

Quæ est divisio actionum?

Actionum quædam sunt naturales, vt gignere: Quædam voluntariæ, ut dicere,

Actiones voluntariæ quotuplices sunt?

Duplices *Quomodo?*

Aliæ sunt intellectus, ut meditari: Aliæ voluntatis quæ triplices sunt, Oeconomiæ, ut: fovere liberos: politicæ. vt Bellare: Ecclesiasticæ, quæ sunt duplices, Sacramentum & Sacrificia.

(Sacramenta sunt actiones divinitus institutæ per quas Deus nobis exhibet sua bona, ut Baptismus & Cœna Domini. Sacrificia sunt actiones divinitus institutæ, quibus nos Deo reddimus certa opera, quorũ finis est principalis, ut eum honore afficiamus. Et sunt duplicia: ἱλαστικὸν, seu propitiatorium, ut mors & tota obœdientia filij Dei promerens remissionem peccatorum aliis. Et εὐχαριστικὰ, quæ non merentur remissionem peccatorum, sed cum fiunt à reconciliatis, ut Deum afficiant honore, placent Deo, ut Baptismi obœdientia in morte.

Quot sunt proprietates prædicamenti Actionis & Passionis?

Duæ.

Quæ est Prima proprietas?


Actionum est contrarietas, ut calefactio pugnat cum frigefactione,

Quæ est secunda?

In actionibus est magis & minus, ut aliàs magis, aliàs minus calefit corpus aliquod.

Tabula

Tabula actionum prior, sumpta à causis efficientibus.



Altera

Altera sumpta ab obiectis & causa finali:

Actiones sunt triplices.

Oeconomicæ, ut fovere liberos, pascere, erudire, regere disciplina.

Politicæ, ut orare, dicere sententiam in senatu.

Ecclesiasticæ, hoc est, ceremoniæ

Sacramenta, per quæ Deus nobis exhibet promissa bona, ut remissionem peccatorum, ut circũcisio Iudæis, Baptismus & cœna Domini Christianis.

Sacrificia quibus nos reddimus Deo certa opera, ut eum honore afficiamus.

ἱλαστικὸν, propitiatorium, obedientia & mors filij Dei promerens nobis reconciliationem cũ Deo &c.

εὐχαριστικὰ, opera, quæ facimus juxta verbum Dei, vt eũ honore afficiamus, quæ placẽt Deo facta à renatis in fide, vt obœdientia Baptistæ in morte.

DE PRAEDICAMENTO QVANDO.

Quid est Predicamentum Quando?

Est ordo vocum quæ tempus significant,

Quid est Tempus?

Tempus est numerus alicuius motus secundum prius & posterius.

Quę vocabula in predicamento Quando collocantur?

Nomina & adverbia tempus significantia, ut annus, mensis, dies, hora, hodie, nunc, cras, & similia.

DE PRAEDICAMENTO VBI.

Quid est prædicamentum vbi?

Est ordo vocum, quæ loeum significant, ut domi, foris, hic, illic.

Quid est Locus?

Est spacium continentis corporis, cedentis contento.

Quomodo nomina locorum collocantur in hoc prædicamento?

Quatenus corpora continent, non quatenus sunt figuræ, aut ædificia.

DESITV.

Quid est prędicamemtum Situs?

Est ordo vocum, quæ statum seu positum corporis

rii significant, & partium eius, ut stare, iacere, supinum esse, pronum esse.

DE HABITV.

Qui est prædicamentum Habitus?

Est ordo vocum, quæ habitum seu vestitum significant, ut sunt vestium & aliorum tegumentorum nomina, quatenus ratio vestiendi consideratur, non materia, ut tunica, thorax, calceus pileus, galea, clypeus & similia.

Versus de vocibus, quæ à prædicamentis vulgo removentur.

Complexum, consignificans, fictum, polisemum, Vox logicæ, Deus, excedens, privatio, parsq;.

Complexum, hoc est, orationis membrum seu comma ut iustus homo, nisi pro una voce accipitur, ut corpus animatum. *Consignificans*, hoc est, syncategorema, ut partes orationis indeclinabiles ut utinam, quidem, apud, heri. *Fictum*, hoc est vox commentitia & fabulosa, ut cerberus, sphynx, chimæra. *Polisemon* hoc est, vox multa significans, ut canis, taurus, nisi tollatur, voce adiecta, ambiguitas, ut canis, animal terrestre. canis piscis marinus, canis signum cœleste. *Vox Logicæ*, hoc est secundæ intentionis, ut genus species, subiectum, prædicatum, quibus aliarum vocum gratia utuntur Dialectici. *Deus*, quia nullum infinitum est in prædicamento. *Excedēs*, hoc est, transcēdens ut ens, unum

vnum, verum, bonum. *Privatio*, cæcitas, surditas, tenebræ. *Pars*, ut forma, materia, caput, pectus, venter.

OBSERVATIO.

Est & hoc observandum, unam eandemq; vocem sæpe poni in diversis prædicamentis secundum eius diversam significationem, ut amor, ira, inducia, in prædicamento qualitatis, quatenus sunt affectus: in relatione, quatenus habent respectum ad aliud, ut supra in prædicamento relationis dictum est. Ita inquit Boetius: Secundum aliud atq; aliud, una eademq; species duobus generibus subnecti potest. Et *Aristoteles*: *Si contingat hoc ipsum, & quale & relativum esse, nihil est inconveniens, in utriusq; hæc generibus enumerare.*

DE POSTPRAEDICAmentis.

Quid vocant Dialectici Postpredicamenta?

Vocabulorum aliquot ambiguorum distinctionem seu enarrationem, ut oppositionis prius, simul, motus, & verbi habere.

Quot modis dicuntur opposita?

Quatuor. Quomodo?

1. *Contrariè opposita, ut quæ qualitates, quarum una pellit alteram, ut calor & frigus.*
2. *Relativè opposita, ut pater, filius, dominus, servus.*

3. Pri-

3. Priuative oppoſita, vt lux & tenebræ, cæcitas & viſus.

4. Contradictorie oppoſita, vt duæ propoſitiones, altera affirmatiua, altera negatiua, vt homo eſt animal, homo non eſt animal.

Quot modis dicitur prius?

Tribus Quomodo?

1. Tempore, vt arbor ramo, Romulus Auguſto prior eſt.

2. Ordine naturæ, vt cauſa ſuo effectu, etiamſi tempore ſimul ſunt.

3. Dignitate, vt Conſul Senatore, Rex principe.

Quot modis dicitur aliquid Simul?

1. Tempore, vt efficiens naturale, propinquum ac patiens, vt faber & fabricatio, totum & partes principales.

2. Natura, vt relatiua & correlatiua, dominus & ſeruus, maius & minus.

Quot modis dicitur verbum Habere?

Octo Quomodo?

1. Vt qualitatem, vt habet ſcientiam, vel virtutem.

2. Vt quantitatem, vt habet magnitudinem bicubitam, tricubitam.

3. Vt aliquid circa corpus, vt veſtimentum, ſubuculum, vel penulam.

4. Vt

4. Vt aliquid in parte corporis, vt in digito, annulum.

5. Vel vt partem, vt manum, pedem, caput.

6. Vel vt in vaſe, vt modus habet in ſe triticum, lagena vinum, hoc eſt, continet.

7. Vt poſſeſſionem, vt habet domum, prædium.

8 Vt relatiuè, vt habet vxorem, habet maritum.

Species motus ſex, vide ſupra in prædicamento actionis & paſſionis.

DE DEFINITIONE.

Quid eſt definitio?

Definitio eſt oratio, qua vel nomen interpretamur. vel qvid res ſit exponimus.

Quotuplex eſt definitio?

Duplex. Quomodo?

Alia nominis definitio nuncupatur: Alia rei definitio.

Quid eſt definitio nominis?

Definitio nominis eſt qualiscunq; non falſa nominis ſeu linguæ, ſeu figuræ, ſeu phraſis interpretatio, vt ſolſtitium eſt ſolis ſtatio.

(Eſſe ſub lege, ſignificat eſſe damnatum ſententia legis. Eſſe ſub gratia, ſignificat eſſe ſub miſericordia Dei recipientis nos propter filium)

Quid eſt definitio rei?

Definitio rei eſt oratio, quæ eſſentiam aut cauſas aut partes, aut accidentia rei exponit.

Quot sunt conditiones bonæ definitionis? Tres.

Quæ est prima?

Ne definitio sit angustior definitio.

Quę est secunda?

Ne longius vagetur definitio quám definitum.

Quæ est tertia?

Vt sit sermo definitionis proprius, perspicuus, & sine ambiguitate significans membra, quæ continet.

Quot sunt formę definitionis rei? *Quatuor.* Quæ?

1. *Essentialis.*
2. *Caussalis.*
3. *Collecta ex coacervatione partium.*
4. *Et collecta ex coacervatione accidentium.*

Quæ est definitio essentialis?

Definitio essentialis est, quæ constat ex genere & differentia specifica, vt homo est animal rationale.

(Sæpe pro differentia specifica vtimur aliis proprietatibus, vt equus est animal hinniens. Dicuntur & accidentium definitiones essentiales, vbicunq; genus & differentia specifica, vel aliqua alia proprietas accommodata nominari potest. quæ loco differentiæ recteponitur, vt virtus est habitus inclinans voluntatem ad obediendum rectæ rationi.)

Quæ est definitio caussalis?

Definitio caussalis est oratio, quæ diserte caussas omnes

omnes, vel aliquas recenset, ut rei naturam vel vsum declaret: vt Scholasticus est persona ordinata voluntate Dei, ad discendam doctrinam generi humano necessariam, de Deo & de aliis rebus bonis.

Quæ est definitio collecta ex partibus?

Est oratio recitans partes seu essentiales, seu integrales præcipuas eius rei, quæ declaratur, vt Philosophia est cognitio artium dicendi, Mathematum, Physices & doctrinæ de moribus, quæ acie humanæ mentis intelligi, & iudicari possunt.

Quæ est definitio collecta ex accidentibus?

Est oratio generi vel speciei adiungens, vel propriæ accidentia rei, vel talem coaceruationem communium accidentium, quæ discernant eam ab aliis rebus, vt ignis est elementum calidum & siccum, & leuitate omnibus alijs antecellens.

Quæ est vtilitas definitionis?

Est hæc: ut in omni quæstione, cum docendi sunt homines, fontes explicationis, quæ est vera rei definitio, teneamus.

DE DIVISIONE.

Quid est diuisio?

Diuisio est, cum vel vocem in sua significata, vel genus in suas species, vel totum in suas partes, seu membra partimur, vel accidentia subiecti enumeramus.

Quot sunt formæ diuisionum?

Quatuor.

Quæ est prima forma?

Distinctio nominis multa significantis in sua significata, vt nomen libertatis alias significat immunitatem, ab oneribus ciuilibus, aliàs liberationem à peccato, ab ira Dei, & ab æterna morte.

Quæ est secunda forma?

Diuisio generis in species vel per differentias, vel per propria, vel per accidentia, vel per subiecta, vel per obiecta, vel per causas, vel per effectus, vt animal dividitur per differentias in species, vt animalium aliud est rationale, vt homo: aliud sine ratione, vt bos, equus.

Quæ est tertia forma?

Diuisio totius in partes seu essentiales seu integrales, vt legis Mosaicæ partes tres sunt: Moralis, Iudicialis & Ceremonialis. ✝ Vita Deo placens totum est: partes, fides & iustitia bonæ conscientiæ. (Cicero hanc formam proprie partitionem vocat, quia partes seu membra recenset.)

Quę est quarta forma?

Diuisio subiecti in accidentia propria, qua vtimur cum alicuius personæ vel rei conditiones proprias enumeramus, vt Bonus Imperator habeat scientiam rei militaris, virtutem, autoritatem & felicitatem. ✝ Episcopus sciat doctrinam Ecclesiæ. & sit idoneus ad docendum, timeat Deum, & moribus honestis ornet doctrinam.

Quæ

Quæ est vtilitas diuisionis?

Est hæc, vt res involutas rectè & eruditè in docendo explicemus, juxta vetus dictum: Qui benè distinguit, benè docet.

DE METHODO.

Quid hactenus in Dialectica tractatum est?

Initio monstrati sunt gradus & domicilia vocabulorum seu vocum simplicium, postea dictum est, de modis definitionum & diuisionum, quorum omnium vsus ostenditur in methodo.

Quid est Methodus?

Methodus est recta via seu ordo investigationis & explicationis, sive simplicium quæstionum, sive propositionum, quæ via in Dialectica traditur.

Quot sunt Methodi quæstiones?

Cum de vna voce dicendum est, viam monstrant hæ decem quæstiones.

Prima,	*Quid vocabulum significet?*
Secunda,	*An sit res?*
Tertia,	*Quid sit res?*
Quarta,	*Quæ sint rei partes?*
Quinta,	*Quæ sint species?*
Sexta,	*Quæ causæ?*
Septima,	*Qui effectus?*
Octava,	*Quæ adiacentia?*
Nona,	*Qvæ cognata?*
Decima,	*Quæ pugnantia?*

EXEMPLVM METHODI, virtus.

1. *Quid significat vocabulum virtutis? Interdum vim seu facultatem, interdum habitum partientem honestas ac laude dignas actiones, vt hoc loco.*

2. *Estne virtus? Etiam, quia experientia testatur esse discrimen inter virtutes & vitia.*

3. *Quid est virtus? Est habitus inclinans voluntatem & cæteras vires, vt constanter & firmiter obediant rectæ rationi.*

4. *Quæ sunt partes virtutis? Nullæ, quia habitus non secantur in partes.*

5. *Quæ sunt species? Iustitia particularis, veritas, fortitudo, modestia, temperantia, castitas, & multæ aliæ.*

6. *Quæ sunt causæ efficientes? Mens rectè iudicans, & voluntas obtemperans.*

Quæ causæ adiuuantes, Bonæ inclinationes naturales, doctrina, & accurata assuefactio.

Quæ materia ex qua? Nulla, quia materiam ex qua, nulla accidentia habent.

Quæ materia in qua? Subiectum, voluntas, & cor, in quibus sunt virtutes.

Quæ causa finalis? Secundum Philosophos, ipsa actio honesta, iuxta doctrinam Ecclesiæ, vt Deo præstemus obedientiam, vt pœnæ vitentur, & donentur nobis præmia corporalia & spiritualia siue æterna.

7. *Qui*

7. *Qui effectus? Tranquillitas cordis, prosperi successus, vtilitas & pax publica, & imitatio.*

8. *Quæ adiacentia? Gloria, odia multorum, pericula, diuina defensio in periculis.*

9. *Quæ cognata? Bonæ inclinationes. vt σοφιαὶ φυσικαὶ & aliarum virtutum semina.*

10. *Quæ pugnantia? Vitia seu turpitudines, & falsa simulatio virtutis.*

LIBER II.

DE PROPOSITIONE.

Loci principales libri secundi.
1. Propositio.
2. Oppositio.
3. Conversio.
4. Æquipollentia.

Quid est propositio?

PRopositio est oratio indicatiua, vnica & integra, verum aut falsum sine ambiguitate significans, vt, Sol movetur, homo est lapis.

Quæ est vtilitas doctrinæ de Propositionibus?

Vtilitas est hæc: Quod admonet quærendas esse in omnibus disputationibus & scriptis propositiones principales, deinde & argumentorum membra & dirigendam omnem orationem ad aliquas certas propositiones & perspicuas asseverationes.

Quot sunt divisiones propositionum?

Quinq;.

Quæ est prima Divisio?

Propositionum aliæ sunt catagoricæ; aliæ hypothetticæ.

Quid est propositio Categorica?

Est vnica, simplex indicativa oratio, quæ per simplicua assenerationē vnum quiddam affirmat, vel negat, vt: Sol maior est terra, Luna non est maior terra.

Quid est propositio Hypothetica?

Est oratio, in qua duæ categoricæ contexuntur per Grammaticam particulam conjunctionem, vt si emisti, debes precium dare: si asinus volat, habet pennas.

Quot sunt partes propositionis Categoricæ?

Tres. Quæ?

Subjectum, Prædicatum & Copula.

Quid est Subiectum?

Est in Grammatica constructione, prior nominativus, de quo aliquid dicitur.

(Grammatica suppositum vocant, qvo vel per sona vèl res aliqva significatur

Quid est Prædicatum?

Est descriptio sequens copulam, seu est verbum nomini attributum. (Grammatici appositum vocant, & est aut verbum aut nomen adiectiuum, aut substantiuum, quod in descriptionibus vt genus poni potest, vt Iupiter est stella. Non autem semper vnica vox est subiectum aut prædicatum, sed interdum adduntur vtriq; descriptiones aliquæ. Ideo diligenter considerandum quæ membra proprie subiecti locum teneant, quæ prædicati, vt hic.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Vinosus prædicati pars est, non subiecti. Est & hæc vere propositio: Didicisse fideliter artes. Emollit mores, nec sinit esse feros

Quid est Copula?

Est Verbum substantivum, quod est nexus vel vinculum, quo prædicatum alligatur subiecto, vt Deus est iustus.

(In vetbis inest copula per sese, vt DEVS vere irascitur peccatis, Id est, iratus est.)

Quæ est secunda divisio propositionis Categoricæ?

Propositionum alia est affirmativa, alia negativa.

Quid est propositio affirmatiua?

Est quæ asseuerat aliquid adesse vel inesse subiecto, vt partes est albus.

Quid est negativa?

Est quæ asseverat aliquid abesse subiecto per particulam negativam conveniente loco positam.

(Vbi vere remouet prædicatum a subiecto, vt voluptas non est summum bonum.)

Quæ est tertia diuisio propositionum?

Propositionum aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ, aliæ singulares.

Quid est propositio vniuersalis?

Est, in qua signum vniuersale additur subiecto, vt complectatur omnia, de quibus subiectum dici potest, vt, Omnes stellæ sunt lucida corpora, nulla stella est conflata ex elementis.

Quæ est particularis?

Est, in quo signum particulare additur subiecto, vt complectatur non omnia, sed aliqua, seu pauca, de quibus subiectum dicitur, vt: aliqui homines timent Deum, aliqui homines non timent Deum.

Quid est indefinita?

Est, in qua subiectum est vocabulum commune sine signo positum, significans aliàs Ideam, aliàs particulariter, vt anima hominis est immortalis, secundæ res faciunt homines insolentiores.

Quid est singularis?

Est, in qua subiectum est proprium nomen seu individuum, vt M. Cicero est orator.

(In principio erat verbum, id est, Filius DEI erat in principio.)

Quæ

Quæ est quarta diuisio propositionum?

Propositionum alia est vera, alia falsa.

Quæ est propositio vera?

Est asseueratio cum re consentiens, vt cœlum semper mouetur.

Quæ est propositio falsa?

Est oratio à re dissentiens, vt plures sunt mundi, vt furenter Epicurus dixit.

Quæ est quinta Diuisio?

Propositionum aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes, aliæ impossibiles.

Quæ est propositio necessaria?

Est, in qua de specie aut genus aut differentia, aut proprium, aut toto definitio prædicatur, vt homo est animal rationale, virtus est habitus inclinans ad agendum secundum rectam rationem.

Quæ est propositio contingens?

Est, in qua accidens commune de subiecto prædicatur, vt lapis est albus, aqua est calefacta, Æneas vicit Turnum.

(Nam & hæ propositiones, in quibus præteritæ de subiecto dicuntur, quæ mutari iam post factum non possunt, vocantur contingentes, quia prædicatum est extra substantiam subiecti, seu extra substantialem definitionem subiecti, vt extra substantiam Aeneæ sunt actiones & eventus, præliari & vincere.)

Quæ

Quæ est propositio impossibilis?

Est, in qua pugnantia iunguntur, aut species disparatæ, vt, cæcitas est uisus, aper est cervus.

Quæ sunt formulæ vsitatæ quærendi de propositionibus?

Quæ? qualis? & quanta?

Quid interrogat quæ?

Vtrum propositio sit Categorica, aut Hypothetica.

Quid qualis?

Vtrum sit affirmativa, aut negativa.

Quid quanta?

An sit vniversalis, aut particularis, aut indefinita, aut singularis, iuxta versiculum:

Quæ, ca, vel Hyp: quatis ne: vel aff; u, quanta, par, in, sin. Exempla.

In principio erat verbum: quæ, qualis, quanta? Categorica, affirmativa singularis.

Omnes peccaverunt, & destituuntur gloria Dei: quæ, qualis, quanta? Categorica, affirmativa, vniversalis.

Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem: quæ, qualis. quanta? Categorica, negativa, vniversalis.

Rei non bonæ consuetudo pessima est: quæ, qualis, quanta? Categorica, affirmativa, indefinita.

ACCI-

ACCIDENTIA PROpositionum.

Quot accidunt propositionibus?

Tria. *Quæ?*

Oppositio, conuersio & æquipollentia.

DE OPPOSITIONE.

Quid est oppositio?

Oppositio est dissonantia propositionum, quarum altera est affirmatiua altera negatiua eorundē extremorum sine vlla ambiguitate intellectorum, vt Paris rapuit Helenam, Paris non rapuit Helenam.

Quot sunt Oppositionis species?

Tres. *Quæ?*

Contrariæ, Subcontrariæ, & contradictoriæ.

Quæ sunt contrariæ?

Duæ vniversales, quarum altera est affirmatiua altera negatiua eorundem extremorum sine ambiguitate intellectorum, vt:

Omnes dies artificiales sunt æquales.

Nulli dies artificiales sunt æquales.

Quę sunt subcontrariæ?

Duæ particulares, quarum altera est affirmatiua. altera negatiua, vt:

Quidam

Quidam dies artificiales sunt æquales,
Quidam dies artificiales non sunt æquales.

Quæ sunt contradictoriæ?

1. *Vniversalis affirmativa, & particularis negatiua, vt;*

Omnes dies artificiales sunt æquales,
Quidam dies artificiales non sunt æquales.

2. *Item, vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, vt:*

Nulli dies artificiales sunt æquales,
Quidam dies artificiales sunt æquales.

3. *Item, Duæ singulares. altera affirmativa, altera negatiua, vt:*

Roscius interfecit patrem,
Roscius non interfecit patrem.

4. *Item, Duæ indefinitæ, in quibu Idea significatur, vt:*

Virtus est finis hominis,
Virtus non est finis hominis.

FIGV-

Figura Oppositionis.



(Subalternæ non dissentiunt, Sunt enim particulares sub vniversalibus positæ, quæq; in argumentando colligi ex vniversalibus possunt, vt, Omnes homines sapiunt. Ergo Germani sapiunt.)

REGV-

REGVLAE SEV LEGES. Oppositionum.

Quot sunt regulæ seu leges oppositionum?

Quatuor

Quæ est prima regula seu lex?

In propositionibus oppositis eadem sunt extrema de eodem loco & tempore respectu eiusdem, & sine ambiguitate intellecta, vt hæ non pugnant de diversis temporibus intellectæ:

Pompeius est victor,
Pompeius non est victor, quia vtraq; vera est, sed non eodem tempore.

Quæ est secunda Lex?

Contrariæ nunquam possunt simul esse veræ, sed in materia contingenti possunt simul esse falsæ, vt:

Omnia poma sunt flava,
Nulla poma sunt flava,

Quæ est tertia Lex?

Subcontrariæ nunquam simul falsæ esse possunt, sed in materia contingenti possunt simul esse veræ, vt

Quædam poma sunt flava,
Quædam poma non sunt flava.

Quæ est quarta Lex?

Impos-

Impossibile est duas contradictorias simul veras aut falsas esse. ut?

Deus est, *Deus non est.*
Ignis urit *Ignis non urit.*

DE CONVERSIONE.

Quid est conversio?

Conversio est inferre æqualem propositionem, vel rite sequentem proximam, permutatis extremis.

Conversio est duplex: Vocabulorum simplicium, quæ idem significant, ut equus & hinnibens, bona opera, iustitia universalis, & iustitia bonæ conscientiæ, quæ Synonima, & paria dicuntur, ut species & propria, species & genus cum differentia specifica. quæ converti possunt, ut homo est, ergo loquitur. Loquitur, ergo homo est. Ut conversio propositionum, de qua hic agitur.

Quot sunt modi conversionis?

Tres *Qui?*

Conversio simpiex, Conversio per accidens, Conversio pro contra positionem.

Quid est conversio simplex?

Est cum manentibus ijsdem signis, manente & eadem qualitate, ex prædicato subiectum, & ex subiecto fit prædicatum.

Vbi fit?

Tantum in universali negatiua, ut:

Nemo timens Deū contaminat se adulterio,

Ergo. Nemo contaminans se adulterio, timet Deum.

Item in particulari affirmativa, vt:

Aliquis humor in corpore humano mistus sanguine amarus bilis est.

Ergo aliqua bilis amara est.

Quid est conversio per accidens?

Est, cum ex prædicato fit subiectum, & ex subiecto prædicatum, manente eadem qualitate, sed mutatis signis.

Vbi fit?

In universali affirmativa, vt:

Omnis homo est substantia,

Ergo quædam substantia est homo.

Quid est conversio per contrapositionem?

Est, cum ex prædicato fit subiectum, & ex subiecto prædicatum, ita ut remotione prædicati, in conversa removeatur subiectum.

Vbi fit?

In universali affirmativa, vt:

Omnis homo est animal,

Ergo quicquid non est animal, non est homo.

Quæ est utilitas conversionis?

Prima est, ut posita aliqua propositione videamus quæ æquivalentes, aut proxime inde sequantur, permutatis terminis.

Secun-

Secunda, ut natura signorum conspiciatur. Maior enim vis est particulæ negativæ universalis, nullus quam affirmativæ, omnis. Quia universalis negativa ingreditur totam propositionem & retinetur in permutatione, non affirmativa, ut nullus est lapis, homo est lapis. Ergo nullus lapis est homo. Illud non fit in affirmativis, neq; enim sequitur:

Omnis homo est substantia

Ergo omnis substantia est homo.

Omnis flamma est stella,

Ergo omnis stella est flamma.

Tertia, ut conversione secunda & tertia figura Syllogismorum confirmetur & illustretur, ad quem vsum Aristoteles doctrinam conversionum tradidit.

Observatio de conversionibus.

Duo in conversione observentur, prius ut principale subiectum & prædicadum permutentur. Alterum, verbum substantivum interdum resolvendum est in copulam, & participium, quod Dialectici prædicatum materiale appellant, ut omnes stellæ sunt in cœlo, Hæc ita vertitur, Ergo quædam existentia in cœlo sunt stellæ, non autem, cœlum est in stellis. &c.

DE PROPOSITIONIbus modalibus.

Quid est propositio modalis?

Est, in qua copulæ annectitur aliquis horum modorum, necesse, possibile, impossibile, & contingens.

Quid significat necessarium?

Quod aliter se habere non potest.

Quotuplex est necessitas?

Quadruplex. Quomodo?

1. *Necessitas absoluta, seu simplex, quæ & necessitas consequentis dicitur,*
2. *Necessitas definitionum & demonstrationum.*
3. *Necessitas Physica.*
4. *Necessitas consequentiæ.*

Quid est necessitas absoluta?

Est, cuius oppositum simpliciter sunt impossibilia, quales sunt propositiones de essentia & virtutibus Dei, ut Deus est iustus: Deus est essentia intelligens, verax, benefica, iusta, casta, liberrima. Huius oppositum est impossibile, ut Deus non est, Deus est essentia non intelligens, mendax, iniusta, &c.

Quid est necessitas definitionum & demonstrationum?

Est, ubi si fingatur oppositum, sit implicatio contradictionis, ut si trigonus non habet tres angulos, non est trigonus. Est hic gradus primo proximus.

Quid est necessitas Physica?

Est eorum, quæ, quia natura sic ordinata est, eodem modo se habent, ut ignis necessario calefacit, necessitate Physica, hoc est ordine sic instituto divinitus. Etsi Deus, quia agens est liberrimum, & omnipotens hunc ordinem mutare potest, ut cum Solem fistit in pugna Iosuæ.

Quæ est necessitas consequentiæ?

Est eorum, quæ reipsa quidem sunt mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic à Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis, quæ non mutantur, cũ tamen mutari potuissent, vel quia, cum fiunt, contradictoriæ simul veræ esse non possunt, ut necessariò futura est resurrectio mortuorum, quia Deus de ea decretum fecit, Necessariò fiunt scandala, quia magna hominum malitia est, & Diabolus multos ad peccata impellit. Et cum hæc vera est, Plato sedet, contradictoria eius, Plato non sedet, falsa est. De hoc gradu inquit Aristo. Omne quod est, quando est, necesse est esse.

Quid est impossibile?

Est, quod repugnat ei, quod potest esse, aut fieri est q; contrarium necessario.

Quid est Possibile?

Est id, quod potest fieri, sive causam habeat necessariò agentem sive non necessariò agentem, ut possibile est iuvenem vigentem & valentem hodie mori. Græcè dicitur δυνατὸν.

Quid est contingens?

Est, quod cum fit, habet causam, quæ poterat ex natura sua aliter agere, vt Æneas vicit Turnum, propositio est contingens. Quia, etsi postquam hæc ita acciderunt, mutari non possint, tamen quia fieri potuit

tuit, vt Æneas non vicisset Turnum propter causam gubernantem illum eventum, qui alius esse potuit, contingens propositio dicitur. De hoc modo inquit Aristoteles: Contingens dicitur, quod cum sit necessarium si tamen ponatur, seu fiat, nihil sequitur impossibile. Est q; contingens contrarium impossibili & necessario.

Quæ est huius partis utilitas?

Est, quod discrimen ostendit & illustrat inter necessaria & non necessaria, quod cum non observatur, horribilis errorum sequitur confusio, ut alio modo ignis agit, calefaciens necessariò scilicet, quia secundum naturæ ordinem non potest non calefacere. Alio modo voluntas humana agit, scilicet contingenter, quia potest velle aut nolle, appetere, aut aversari rem inspectam & agnitam ratione, vt Scipio potest voluntatem suam inducere, ne attingat sponsam alienam. Iosephus, ne committat adulterium cum vxore sui domini. Quia libertas in homine post lapsum in actionibus externis seu locomotivæ aliquo modo relicta est.

DE AEQVIPOLLENTIA

Quid est propositionum æquipollentia?

Est cum signa inter se consentiunt, vt:

Omnes amant pecuniam.

Nemo non amat pecuniam.

Qua

Quæ sunt signa æquipollentia?

Non omnes, & quidam non: nonnulla, & aliqua: Nemo non, & omnis, & id genus alia, quorum vsus & mutatio in Grammaticis discenda est.

OBSERVATIONES duæ.

I. Particulæ exclusivæ vim habent universalium vt, tantùm homo loquitur, hoc est, omnes loquentes sunt homines. Soli credentes Evangelio salvantur, hoc est, omnes salvandos necesse est credere Evangelio.

II. Phrasi Hebræa, non omnis, non unus, idem valent, quod nullus, vt: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens id est, nullus vivens. Item: Custodiet Dominus omnia ossa eorum, & unum ex eis non confringetur, id est, nullum. Item: Non est, qui faciat bonum, nec unus quidem, hoc est, nullus.

LIBER III.

DE ARGVMENTATIONE.

Loci principales libri tertij,
1. Argumentatio
2. Syllogismus
3. Enthymema
4. Inductio
5. Exemplum
6. Sorites.
} Argumentationis species.

Quid est Argumentatio?

ARGVMENTATIO est oratio, in qua conclusio aliqua confirmatur aut refutatur per alias notiores propositiones continentes causam conclusionis, & rectè ad eam accommodatas.

Quot sunt consideranda in argumentatione?

Duo. Quæ?

Materia & Forma.

Quid est materia argumentationis?

Est rerum seu propositionum cumulus, quæ sunt causæ eius conclusionis, de qua disputatur.

Quid est Forma?

Est ordo seu dispositio & connexio singularum partium in argumento. ✝.

(Quæ

(Quæ si nullum præceptum Dialectices violatur bona consequentia dicitur. Mala consequentia vocatur, cum connexio ab aliquo præcepto dissentit.)

Quot sunt species argumentationis?

Quatuor Quæ?

Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, quibus additur & Sorites.

DE SYLLOGISMO.

Quid est Syllogismus?

Syllogismus est oratio, in qua positis & concessis duabus propositionibus, quæ tribus terminis ita junctæ sunt, ut sint causa conclusionis, necesse est sequi eam conclusionem, ut positis his duabus propositionibus:

Omne vinum calefacit.
Malvaticum est vinum, necessariò sequitur conclusio,
Ergv Malvaticum calefacit.

Aristoteles - Syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis, aliud ab his quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo, quod hæc sunt. Boëtius ita definit definitionem Aristotelis explanans: Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis & concessis, aliud quiddam, præter ea, quæ posita & concessa sunt, necessariò evenit, propter ea quæ posita & concessa sunt.

Quotuplex est Syllogismus?

Duplex. *Quomodo?*

Cummunis & Expositorius.

Quid est Syllogismus communis?

Est, in quo medius terminus est nomen commune, vel species, vel genus.

Quid est Silogismus expositorius?

Est, in quo medius est nomen singulare, seu individuum.

Quot sunt partes Syllogismi?

Duæ propositiones ante conclusionem, in quibus sunt termini simplices tantum tres, tanquam singularia membra.

Quomodo vocantur duæ illæ propositiones?

Prior vocatur maior propositio. Secunda vocatur minor propositio.

Quomodo vocantur tres illi termini?

Maior, Minor, & Medius.

Quis est maior terminus?

Est, qui tantùm in prima propositione ponitur.

(Et tribuitur postea subiecto conclusionis.)

Quis est minor?

Qui tantùm in secunda propositione ponitur.

(Et

(Et est is, de quo quæstio est, de qua in conclusione pronunciatur.

Quis est medius?

Qui bis ponitur ante conclusionem.

(Quia est vinculum duarum propositionum, & causa quare subiectum & prædicatum in affirmativa conclusione jungantur, & quare in negativa distrahantur.)

REGVLAE GENERALES de Syllogismis tredecim.

Quot sunt regulæ generales de Syllogismis?

Tredecim.

Quæ est prima?

Ex puris negativis nihil sequitur, ut:

Nullus lapis est baptizandus,
Nullus infans est lapis,
Ergo nullus infans est baptizandus.

Quæ est secund?

In Syllogismo non sint plures termini quàm tres, (quia turbatur connexio) vt:

Omnis Magistratus politicus debet vi corporali cohercere contumaces,
Petrus est Apostolus,
Ergo Petrus debet vi corporali cohercere Hannam & Caipham. Hic quatuor sunt termini seu voces simplices, magistratus politicus, cohercere contumaces, Petrus, & Apostolus.

Quæ

Quæ est tertia ?

Cavendum ne sit ambiguitas in terminis.

(Quia cum faciunt quatuor terminos, distrahunt connexionem) vt:

Nullus servus est liber,
Christiani sunt liberi
Ergo nulli Christiani sunt servi.

(Hic est ambiguitas, quia maior loquitur de libertate civili Minor de liberatione animæ ab ira Dei, de peccatis, & a morte æterna.)

Quę est quarta ?

Non valet consequentia, mutato genere prædicationis usitato in peregrinum.

(Quia fit ambiguitas.) vt:

Omnis caro est creatura,
Verbum, quod est Filius DEI, est caro,
Ergo Verbum est creatura,

In majore copula, est, significat prædicatum inesse subiecto. In minore significatur personalis vnio λόγου, cum natura humana, quam veram & integram assumpsit ex virgine, sicut inquit Ioannes: Et Verbum caro factum est.

Quæ est quinta ?

Ex puris particularibus non necesse est sequi veram conclusionem.

(Quia nulla est connexio. & fiunt quatuor termini) vt:

Aulici sunt divites.
Ego ero aulicus,
Ergo ero dives,

Maior est particularis: Aulici sunt divites, aliqui, non omnes.

Recentiores Dialectici ita soluunt. Ex non distributo ad distributum non valet consequentia. Vocant autem distributa, universaliter posita, quæ in omnia inferiora distribui ac spargi possunt. Non distributa vocant particularia, ut distributum est, hoc est, universaliter positum. Animal est vivum corpus. Hæc distribuitur seu spargitur in inferiores seu speciales, hoc modo:

Animal est vivum corpus,

Ergo homo, leo equus, est vivum corpus. Quia homo, leo, equus, sunt species animalis. Quicquid autem prædicatur seu dicitur de animali Idem prædicatur etiam de eius speciebus & individuis, tanquam de inferioribus.

Quæ est sexta ?

Non sit plus in conclusione, quàm fuit in præmissis. Igitur non valet:

Inutilia non sunt discenda,
In Philosophia multa sunt inutilia,
Ergo Philosophia non est discenda.

Neganda est consequentia, quia plus est in conclusione quam in præmissis. Ideo hæc conclusio tantum

tum sequitur. Illæ inutiles materiæ admixtæ Philosophiæ, non sunt discendæ.

Quę est septima?

Medius terminus nunquam sit membrum conclusionis.

(Quia caussa est monstrata in præmissis quam reliqui duo termini cohærent.)

Quæ est octava?

Conclusio semper imitatur partem debiliorem.

(Hoc est, semper particularem præmissam sequitur conclusio particularis. Item, negativam præmissam sequitur e conclusio negativa.)

Quæ est nona?

Determinatio subjecti aut prædicati, quæ non est principale membrum non misceatur conclusioni, vt:

Omnes boni affectus in homine contaminantur ab imbecillitate humana,
σοφγαὶ sunt per se boni. affectus,
Ergo σοφγαὶ per se contaminantur.

(Hæc particula, per se, non fuit transferenda in conclusionem, quia non est principale membrum, nec ad prædicatum conclusionis pertinet.)

Quæ est decima?

In prima & secunda figurà major semper est vniversalis.

Quia

(Quia in prima figura proceditur a genere vniversaliter ad speciem.)

Omnis homo est animal,
Plato est homo,
Ergo Plato est animal.

(Et in secunda figura minor & conclusio per contrapositionem inferuntur ex maiore.)

Omnia delicta puniuntur à Magistratu,
Ergo quod non punitur, vt: Ebrietas, non est delictum.

Quæ est vndecima?

In prima figura, cum minor est negativa, nihil sequitur.

(Quia cũ prima figura procedat a genere ad speciem, oportet in subiecto maioris includi speciem, Necesse est igitur affirmativam esse) non igitur valet.

Omne adulterium est puniendum.
Nullum furtum est adulterium,
Ergo nullum furtum est puniendum.

Quid est duodecima?

In secunda figura tantum fiunt Syllogismi negativi.

(Quia est Antithesis duarum specierum nec fit conclusio speciei in genere, vt in prima figura.)

Quæ est decima tertia?

In tertia figura non fit conclusio universalis, sed particularis.

Quia

(Quia tertia figura procedita ſpecie ad genus, ſed aliquid generi tribuitur propter unam ſpeciem, quod non poteſt univerſaliter tribui.)

Malvaticum eſt dulce,
Malvaticum eſt vinum,
Ergo quædam vina ſunt dulcia.

DE FIGVRIS SYLLOGISMORVM.

Quod accidunt Syllogiſmo?

Duo *Quæ?*

Figura & Modus.

Quæ eſt Figura Syllogiſmorum?

Eſt ordo terminorum, qui variantur collocatione medij. Aliter: Figura eſt formæ terminorum, ſecundum debitam ſubiectionem & prædicationem, diſpoſitio.

Quid eſt modus?

Eſt ordinatio duarum propoſitionum, in debita qualitate & quantitate.

Quot ſunt Figuræ Syllogiſmorum?

Tres.

Quomodo diſcernuntur tres Figuræ Syllogiſmorum?

In prima proceditur à genere ad ſpeciem, ut animal eſt, ergo homo eſt.

In ſecunda diſcernuntur diverſæ ſpecies aliqua proprietate, Cometa non eſt perpetuus, ergo non eſt ſtella.

In tertia proceditur à ſpecie ad genus, particulariter, ut homo eſt, ergo quoddam animal eſt.

Dic verſus de agnitione trium Figurarum?

Prima prius ſubijcit medium, poſt prædicat ipſum
Altera bis dicit, tertia bis ſubijcit.

DE PRIMA FIGVRA.

Quæ eſt prima Figura Syllogiſmorum?

Eſt talis ordo propoſitionum Syllogiſmi, vt medius terminus ſubiectum ſit in maiore, & prædicatum in minore, vnde concluſio neceſſariò ſequitur.

Cuius hæc eſt figura. { *a b* / *c a* / *c b*

Quot ſunt modi primæ Figuræ?

Quatuor directè concludentes.

Qui?

Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

Dic verſus de modis.

Barbara, celarent primæ, darij. ferioq;.
Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco ſecundæ.
Tertia grande ſonans edit darapti. felapton,
Adiungens diſamis, datiſi, bocardo, feriſon.

Quid in his nominibus obſervandum eſt?

Literæ, quæ de propoſitionum connexione monent.

Quomodo?

A *Significat univerſalem affirmativam.*
E *Vniverſalem negativam.*
I *Particularem affirmativam.*
O *Particularem negativam.* *

(*Sumit modus appellationem a concluſione, nam dicitur vniverſalis aut affirmativus, cũ concluſio eſt vniverſalis, aut affirmativa, particularis aut negativus, cum talis eſt concluſio.*)

Verſus:

Aſſerit a, negat e: ſed vniverſaliter ambæ.
Aſſerit i, negat o: ſed particulariter ambæ

Prædicatum maioris dicitur in hac figura de ſubiecto minoris, in concluſione.

EXEMPLA MODORVM.

primæ Figuræ.

Dic Exempla modorum primæ figuræ:

BARBARA.

Bar *Omne animal eſt ſubſtantia.*
ba *Omnis homo eſt animal,*
ra *Ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Animal genus eſt, homo ſpecies,*

CELA-

CELARENT.

Ce *Nullum animal eſt lapis,*
la *Omnis homo eſt animal,*
rent. *Ergo nullus homo eſt lapis. Animal genus eſt. Homo ſpecies.*

DARII,

Da *Omnis turpitudo eſt fugienda,*
ri *Quædam voluptas eſt turpitudo*
i *Ergo, Quædam voluptas eſt fugienda. Turpitudo genus eſt, voluptas ſpecies.*

FERIO.

Fe *Nulla lex naturalis eſt mutabilis,*
ri *Lex prohibens adulteria, eſt lex naturæ,*
o *Ergo lex prohibens adulteria, eſt immutabilis.*

Lex naturalis genus eſt. Lex prohibens adulteria ſpecies eſt,

Dic Regulam conſequentiæ in prima figura.

Quicquid dicitur vel negatur vniverſaliter de genere, id de ſpecie incluſa in genere, dici vel negari poteſt, quod Dialectici vocarunt dici de omni & dici de nullo.

Quid eſt dici de omni?

Eſt quando nihil poteſt ſumi ſub ſubiecto maioris, de quo non dicatur, prædicatum maioris, vt in Syllogiſmis affirmativis Barbara & Darij, vt quia vivum corpus dicitur de animali in maiore, vt omne

animal est vivum corpus; ergo etiam idem dicitur de omnibus eius speciebus & individuis, quæ sub animali ex genere sumuntur, ut omne animal est vivum corpus: ergo homo, equus, Plato est vivum corpus.

Quid est dici de nullo?

Est, quando nihil de subiecto maioris sumi potest, à quo non moveatur prædicatum maioris, ut in Syllogismis negativis Celarent & Ferio, ut, quia vivum corpus movetur seu negatur de gemma, in maiore. Nulla gemma est vivum corpus, ergo etiam negatur de omnibus speciebus gemmarum, & Smaragdo, Sapphiro, Magnete, hoc modo: Nulla gemma est vivum corpus, Ergo nulla Smaragdus, Sapphirus Magnes est vivum corpus.

DE SECVNDA FIGVRA.

Quæ est secunda figura Syllogismorum?

Est talis ordo propositionum Syllogismi, ut medius terminus sit prædicatum in maiore & minore vnde conclusio necessariò negativa sequitur.

hac figura { *b a* / *c a* / *c b*

Prædicatur hic subiectum maioris de subiecto minoris, in conclusione.

Quot

Quot sunt modi secundæ figuræ?

Quatuor. *Qui?*

Cæsare, Camestres, Festino, Baroco.

EXEMPLA MODORVM secundæ figuræ.

Dic Exempla Modorum secundæ Figuræ?

CESARE.

Ces. Nulla stella consumitur,
a Omnes Cometæ consumuntur
re Ergo nullus cometa est stella

Stella & Cometa diversæ sunt species, consumi Cometæ proprietas, discernens eam a stella:

CAMESTRES.

Cam Omnes stellæ sunt corpora perpetua.
es Nullæ traiectiones in aëre sunt corpora perpetua.
tres Ergo nullæ traiectiones sunt stellæ.

Stellæ & traiectiones diversæ sunt species, esse corpora perpetua stellarum proprietas, discernens eas à traiectionibus.

FESTINO.

Fes Nulla natura elementaris habet insitas notitias,
ti Mens humana habet insitas notitias,

no Ergo mens humana non est conflata ex natura elementari. Natura elementaris & mens humana sunt diversæ species, habent insitas noticias mentis humanæ proprietas, discernens eam à natura elementari.

BAROCO.

Ba Omne corruptibile compositum est ex elementis.

ro Mens humana non est composita ex elementis.

co Ergo mens humana non est corruptibilis. Corruptibile & mens humana diversæ sunt species: non esse compositum ex elementis proprietas est animæ discernens eam à corruptibilibus quæ ex elementis compositæ sunt.

Dic regulam consequentiæ in secunda Figura.

Remoto genere removetur species, ut animal non est, Ergo homo non est, quæ consequentia valet per contra positionem hoc modo:

Omnis stella est corpus perpetuum,
Ergo quod non est corpus perpetuum, vt Cometa, non est stella. Hinc talis fit Syllogismus in Baroco.

Omnis stella est corpus perpetuum,
Cometa non est corpus perpetuum,
Ergo Cometa non est stella.

DE TERTIA FIGVRA.

Quæ est tertia figura Syllogismorum?

Est talis ordo propositionum, vt medius terminus sit subiectum in maiore & minore, vnde conclusio particularis necessariò sequitur.

hac figura
a b
a c
c b

Prædicatur hic prædicatum maioris de prædicato minoris in conclusione.

Quot sunt modi tertiæ Figuræ?

Sex Quæ?

Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

EXEMPLA MODORVM tertiæ figuræ.

Dic Exempla Modorum tertiæ Figuræ.

DARAPTI.

Da Omnes σοφοὶ conditæ à Deo in natura hominis sunt res in suo genere bonæ.

rap Omnes σοφοὶ sunt affectus,

ti Ergo quidam affectus sunt boni,
σοφοὶ species est, affectus genus.

FELAPTON.

Fe Nullum justum imperium est excutiendum,
lap Omnia etiam iusta imperia habent aliqua onera duriora, & aliqua errata,
ton Ego aliqua onera & aliqua errata non sunt excutienda, Species justum imperium, genus onera duriora.

DISAMIS,

Dis. Ius naturale concedit defensionem contra latrones,
am Ius naturale est ius divinum,
is Ergo ius divinum concedit defensiones contra latrones. Ius naturale, species, Ius divinum genus.

DATISI.

Da Omnis cognitio virtutum necessaria est Oratori.
tis Cognitio virtutum est Philosophia,
i Ergo Philosophia est necessaria Oratori. Cognitio virtutum species, Philosophia genus.

BOCARDO.

Boc. Provocatio ad iudicem non est prohibita Christianis.
ar. Omnis provocatio est venire in iudicium, seu

seu certare in iudicio cum adversario.
do. Ergo certare in iudicio non est prohibitum Christianis. Provocatio ad iudicem species, venire in iudicium genus.

FERISON.

Fe Nulla hebenus est alba,
ris Hebenus est lignum Guaiacum,
on. Ergo lignum Guaiacum non est album, Hebenus species, lignum Guaiacum genus.

Dic regulam consequentiæ in tertia Figura?

Posita specie necesse est poni genus, in conclusione, sed particulariter, ut:
Malvaticum est dulce,
Malvaticum est vinum.
Ergo qvædam vina sunt dulcia.
Hic aliqvid, videlicet dulcedo, tribuitur generi vino particulariter, propter unam speciem vini Malvatici, quod dulce est.

DE SYLLOGISMO expositorio.

Quid est Syllogismus expositorius?

Syllogismus expositorius est, in quo medium est singulare, cuius ordo ad tertiam figuram congruit,

Quia medius terminus in utraq; præmissa subiectus est.

Quotuplex est?

Duplex. Affirmativus & negativus.

Quid est affirmativus?

Cuius conclusio est affirmativa, ut:

Hæc res calefacit

Hæc res est Zingiber,

Igitur Zingiber calefacit.

Dic regulam consequentiæ?

Quod convenit definito, idem, convenit definitioni, & quod subiecto singulari tribuitur, idem tribui eius speciei, differentiæ vel proprio potest, sed sine ambiguitate.

Quid est negativus?

Cujus conclusio est negativa, vt:

Petrus non tenuit imperium,

Petrus tenuit claves Ecclesiæ,

Ergo Ecclesiæ claves non sunt imperium.

Quæ est regula consequentię?

Ea, quæ removentur ab uno singulari, à se mutuò removentur.

DE ENTHYMEMATE.

Quid est Enthymema?

Enthymema est imperfectus Syllogismus, in quo deest vel maior vel minor propositio.

Quos

Quot sunt partes Enthymematis?

Duæ. Quæ?

Antecedens, quæ est prior pars & consequens quæ est posterior pars.

Dic Enthymema in quo deest maior propositio?

Clodius prior impetum fecit in Milonem,

Ergo iusta fuit defensio.

Adde maiorem: Defensio iusta fuit adversus eum qui non lacessitus vim iustam infert.

Dic Enthymema in quò deest minor.

Vim vi repellere licet,

Ergo Milo iure occidit Clodium.

Adde minorem, Clodius prior vim fecit.

Quid negandum est in vitioso Enthymemate?

Aliàs negatur antecedens, aliàs consequentia.

(Nunquam consequens negatur.)

Quando negatur antecedens?

Antecedens negandum est, cum illud verum non est, vt Poëtæ docent inutilia.

Ergo Plato iustè eos eiecit è civitate. Quia Poëtæ, vt Cicero ostendit in Oratione pro Archia, multa utilia docent ac monent & Horatius inquit.

Aut

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ.
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Quando negatur consequentia?

Cum in ea parte vitium est, quæ desideratur, quæ est vinculum connexionis, vt:

Abel est justus, Igitur non interficietur.

(Non valet, quia in maiori, quæ desideratur (Iusti non interficiuntur) vitium est. Nam non est vniversalis, quia Ecclesia subiecta est cruci in hac vita.)

DE INDVCTIONE.

Quid est inductio?

Inductio est ex singularibus sufficientibus enumeratis constituere universalem, vt:

Vinum Creticum calefacit,
Vinum Italicum calefacit,
Vinum Rhenanum calefacit, nec vllum dissimile exemplum monstrari licet,
Ergo omne vinum calefacit. ✝.

Cur addis: Nec dissimile exemplum reperiri?

Quia ut vniuersalis vera sit, necesse est congruere omnes singulares.

Quomodo refutatur Inductio?

Prola-

Prolato dissimili exemplo, seu (ut vulgo dicunt) data instantia, vt:

Athanasius fuit cœlebs,
Ambrosius fuit cœlebs,
Basilius fuit cœlebs, & alij Episcopi innumerabiles.

Ergò omnes Episcopi fuerint cœlibes.

(Non valet, quia proferri possunt dissimilia exempla vera & probata, vt Spiridonis, Nazianzeni patris Policiatis, & aliorum qui mariti fuerunt.)

DE EXEMPLO.

Quid est Exemplum?

Exemplum est forma argumenti, qua singulare per aliud singulare in una specie confirmamus propter similem rationem, ut:

Maxima pars humani generis in diluuio periit propter libidines,
Ergò postea puniuntur libidines.

Quando non valet consequentia in exemplo.

Cum ratio factorum dissimilis est, vt:

Abraham rectè fecit volens immolare filium Isaac.
Ergo Agamemnon rectè fecit mactata Iphigenia.

Non)

(Non valet, quia dissimilitudo est. Nam Abraham novo mandato & certa voce Dei jussus est offerre filium, certi omnes communi præcepto obtemperare debent, Non occides.

DE SORITE.

Quid est Sorites?

Est coacervatio vocum necessariò cohærentium, in qua aliam ex alia ratiocinamur, & tandem addimus conclusionem repetito initio, vt:

Homo est animal,
Animal est corpus viuum,
Corpus viuum est Substantia,
Ergo homo est Substantia.

Dispositio congruit ad quartam figuram Syllogismorum, quam nonnulli præter dictas tres tradunt, in qua medium est prædicatum in maiore subiectum in minore.

Quæ sunt voces necessariò cohærentes?

Species, genus, differentia, proprium seu definitum & definitio, propriæ causæ & proprij effectus.

Dic Soriten ex causis & effectibus.

Vexatio dat intellectum seu cognitionem iræ Dei & nostræ miseriæ.

Cognitio

Cognitio Dei hortatur nos ad pœnitentiam,
Pœnitentia est necessaria expetentibus salutē,
Ergo vexatio necessaria est expetentibus salutem.

Dic Regulam consequentiæ in Sorite?

Quantum alterum de altero, vt de specie prædicatur, quicquid de prædicato dicitur, id de ea specie quoq; dici potest, vt homo prædicatur de Platone, vt: Plato est homo, animal verò de homine, vt homo est animal. Ergo etiam animal prædicatur de Platone, vt Plato est animal.

Qui sunt vitiosi Soritę?

Primò negativi, vt:

Homo non est bos,
Bos est animal,
Ergo homo non est animal.

Quia in maiore bos non negatur de homine, quantum ad substantiam attinet, quæ utriusq; est eadem corporea, sed quantum ad differentiam attinet specierum, quia homo & bos differunt specie. In minore autem animal dicitur de bove, quantum ad substantiam attinet. Sunt igitur quatuor termini, quos parit prædicationis diversitas.

Secundò cum voces non necessariò cohærent, vel genera & species, vt:

Homo est animal,
Animal est genus,
Ergo homo est genus.

Ex malis moribus fiunt bonæ leges,
Bonæ leges sunt expetendæ,
Ergo mali mores sunt expetendi.

(Vitiosa est connexio, quia mali mores non sunt per se causa bonarum legum, sed mens bonorum gubernatorum.

Quomodo convenit Sorites ad gradationem Rhetoricam, quæ vocatur κλίμαξ?

Sorites dicitur, cum principium repetitur in conclusione. Gradatio, quando principium non repetitur, vt:

Inscitia literarum parit tenebras Religionis,
Tenebræ Religionis pariunt superstitiones, aut Ethnicum contemptum DEI.

(Hic si addatur conclusio, repetito principio erit Sorites.)

Ergo inscitia literarum parit superstitionem aut Ethnicum contemptum Dei.

REGVLÆ BONÆ consequentiæ.

Quot sunt regulæ bonæ consequentiæ?

Viginti præcipuè.

Quæ

Quæ est Prima?

Ex vniuersali rectè sequuntur suæ particulares & singulares, sed non econtra, vt non valet:

Hoc vinum est rubrum,
Ergo omnia vina sunt rubra.

Quæ est Secunda?

Quicquid sequatur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur & ad antecedens, hoc est; quicquid comprehenditur sub consequente, de eo rectè etiam dicitur prædicatum antecedentis, vt:

Omnia politica officia sunt concessa.

Ergo judicia sunt concessa, & per consequens litigare in foro est concessum. Hic litigare comprehenditur sub judicijs, tanquam species sub genere: ergo etiam litigare concessum est homini Christiano, sicut judicia, & cætera politica officia legitima Christiano concessa sunt.

Quæ est tertia?

Non est mutandum genus prædicationum in Syllogismis. Ideo non valet consequentia.

Omnis caro est creatura,
Verbum est caro,
Ergo Verbum est creatura. Non valet consequentia. Quia in maiore est vsitata prædicatio generis de specie, Omnis caro est creatura, id est, substantia creata, in minore est prædicatio inusitata, loquens de personali unione duarum naturarum in Christo, diuina & humana.

Ab eo quod inest per se, ad aliud quod per accidens accidit, non est bona consequentia, nec contrà, vt non valet:

Temperantia est bona,

Febris affert temperantiam,

Ergo febris est bona. Non valet, quia febris est caussa temperantiæ per accidens, non per se, quæ est voluntas ægroti abstinentis:

Quæ est quinta?

Pugnantia non tribuuntur uni & eidem simul, & respectu eiusdem, ut:

Euangelium nõ prohibet discerni cibos & dies,

Ergo male faciunt medici, qui eos discernunt.

(Nõ valet, quia finis diversi sunt, quare prohibeat discrimen ciborum & dierum Evangelium, ne videlicet putetur abstinentia esse cultus Dei, seu justitia: & quare idem præcipiant medici, videlicet vt conservetur vel restituatur valetudo.)

Quæ est sexta?

Cum vnum contrarium tribuitur subiecto, alterum detrahitur, & non contrà, præsertim in contrarijs mediatis, ut valet consequentia affirmativè:

Paries est albus,

Ergo non est niger.

Non autem valet:

Vestis non est alba,

Ergo est nigra. Potest enim esse medij coloris, ut cærulea aut purpurea.

Quæ est septima?

A contrario, cum subiecta opponuntur secundum differentias proprias, valet consequentia, non cum secundum accidentia communia opponuntur, ut non valet:

Pater est robustus.

Ergo filius non est robustus. Non valet, quia esse robustum & non esse robustum, non sunt propriè differentiæ patris & filij, sed accidentia communia. Valet autem hæc consequentia: Zacharias genuit Ioannem Baptistam, Ergo Ioannes Baptista non est Pater Zachariæ, sed filius eius. Quia hic fit oppositio in essentiali differentia inter patrem & filium, gignere videlicet, quod est patris, & gigni, quod est filij.

Quæ est octava?

Contrariæ qualitates possunt in eodem subiecto esse gradibus remissis, vt calor & frigus in aqua calida, in corde dolor & tristicia. Non igitur valet consequentia. In Dauide est fiducia & gaudium, audita consolatione. Ergo non est in eo trepidatio seu tristicia, de admisso peccato. Quia potest simul, dolere de offenso Deo, & admissis scandalis, & lætari de reconciliato Deo & remissis peccatis.

Quæ est Nona?

Ex causis non sufficientibus non valet argumentum, Pompejus tam paratus est, quam Cæsar, Ergo vincet. Quia ad victoriam requiritur etiam auxilium Dei, prudentia, felicitas, & fauor militum.

Quæ est decima?

Propter quod vnumquodq; est tale, illud magis est tale, ut.

Aqua calet propter ignem,
Ergo ignis magis calet.

Hæc regula tantum valet in causis efficientibus, propinquis & totalibus, non valet in causis remotis & partialibus, nec in formalibus, vt:

Cæsar est clemens propter clementiam,
Ergo clementia est magis clemens.

Quæ est vndecima?

Ex non sufficiente enumeratione partium non valet argumentum, vt:

Jura Mosaica & vetera Romana non suspendunt furem.

Ergo fur non est suspendendus.

(Non valet consequentia, quia leges imperatorum recentiorum jubent suspendi furem, propter causam probabilem, hanc videlicet, crescentibus delictis, pœnæ exasperari debēt)

Quæ est duodecima?

A diui-

A diuisis ad coniuncta valet consequentia, si natura patiatur coniungi vocabula, vt:

Aristoteles est Philosophus & eruditus,
Ergo est eruditus Philosophus. Non valet:

Cicero est orator & claudus, quia alterum pertinet ad animum, alterum ad corpus.

Quæ est tredecima?

Ab est tertij adiecti, ad est secundi adiecti, valet consequentia, cum accidens positiuum de substantia prædicatur, vt: Carolus est victor.

Ergo Carolus est.

Non valet in priuatiuis, vt:

Plato est mortuus,
Ergo Plato est.

Nam in his copula non habet vim significandæ substantiæ, sed est connexio priuatiui vocabuli: nec valet in Idæis, hoc est, definitionibus, vt Rosa est planta, igitur Rosa est, id est, subsistit (in hyeme, cum nullæ vsquam florent Rosæ,)

Quæ est decima quarta?

Dici de aliquo requirit inesse, vt:

Cæsar est fortis. Paries est albus.

Quæ est decima quinta.

Talia sunt subiecta, qualia à prædicatis propriè & dextrè acceptis esse permittuntur, vt cum dicitur: Paulus est pictus, imago intelligitur, non substantia viuentis.

DE PROPOSITIONIbus Hypoteticis.

Quid est propositio Hypothetica?

Est, in qua duæ Categoricæ per aliquam coniunctionem contextæ sunt, ut: Si emes, erit dandum pretium.

Quot sunt eius species?

Tres.

Conditionalis, Copulativa, & Disiunctiva.

Quæ est conditionalis?

Est, cui præponitur particula, si, quæ significat propositionem totam nihil asseuerare nisi posita causa vel modo, quem particulas Si, designat, ut: Si Pharao obtemperabit Moysi, non peribit.

Dic regulam de veritate conditionalium?

Conditionalis nihil statuit, nisi posita causa vel modo in antecedente, vt: Si Asinus volat, habet pennas, hæc nihil statuit, sed quærenda est alterius partis veritas, quæ explicatur in integro Syllogismo.

Quotuplices sunt Syllogismi conditionalium:

Duplices, Affirmatiui & negatiui.

Quæ est regula consequentiæ de affirmatiuis?

A po-

A positione antecedentis ad positionem consequentis, valet consequentia affirmatiuè, vt:

Si homo est, animal est,
Sed homo est,
Ergo animal est.

Quæ est regula de negativis?

A destructione consequentis ad destructionem antecedentis, valet consequentia negatiuè, vt:

Si homo est, animal est,
Sed animal non est,
Ergo homo non est

Quomodo fiunt Syllogismi conditionalium?

Initio ponitur tota conditionalis, deinde loco minoris altera pars sumitur, vnde ratiocinamur in conclusione alteram, ita fit asseueratio collecto integro Syllogismo.

Quid est copulativa?

Est, in qua duæ propositiones junguntur per particulam copulativã, ut: Et mortuus est Christus, ut pro nobis victima fieret, & ex mortuis reuixit, vt: nos regat nova luce, justitia & vita æterna donet.

Dic regulam de veritate copulatiuæ?

Ad veritatem copulativæ requiritur, vt utraq; pars sit vera.

Quæ est regula bonę consequentiæ in copulativis?

A tota copulativa ad quamlibet eius partem est bona consequentia, vt si hæc tota vera est, necesse est partes veras esse. Et politicus ordo in societate humana, Dei beneficium est, & ab eo conseruatur, & accedunt in imperijs multæ confusiones & vitia, quæ non oriuntur à Deo, vt blasphemiæ & tyrannides, sed hæc tota vera est. Verum est igitur, blasphemias & tyrannides, quæ sunt imperiorum confusiones, & vitia, nequaquam à Deo oriri.

Quæ est regula malæ consequentiæ?

A parte copulatiuæ ad totam, non valet consequentia, quia deprehensa falsitate vnius partis, non admittenda est tota copulativa.

Qnid est propositio disjunctiva?

Est, in qua duæ propositiones junguntur per particulam disiunctivam, ut: Aut voluptas est finis hominis aut virtus.

Dic regulam de disjunctiuis:

Ad veritatem disiunctivæ satis est alteram partem esse veram.

Quæ

Quæ est forma Syllogismi in disjunctivis?

Initio tanquam loco majoris ponitur tota disjunctiva, deinde minor unius partis remotio est, sequitur ergo conclusio, assęueratio reliquæ partis, ut:

Aut propter legem, aut propter Filium Dei fide recipimur in gratiam,
Sed propter legem non recipimur in gratiam,
Ergo propter Filium Dei recipimur fide.

Quæ est regula consequentiæ?

A remotione unius partis aut plurium ad assęuerationem reliquæ partis valet consequentia.

Quid requiritur in Syllogismo Hypothetico?

Vt sit in maiore integra specierum aut partium enumeratio.

LIBER IV.

DE LOCIS ARGVMENtorum.

Loci principales libri quarti.

1 Diuisio Dialectices.
2 Diuisio Syllogismorum.
3 Genera propositionum.
4 Causæ certitudinis.
5 Demonstratio.
6 Loci personarum.
7 Loci Dialectici.
8 Ratio soluendi vicioſa argumenta.
9 Fallaciæ.

Quæ est vetus diuisio partium Dialectices?

EST hæc: *Alia pars Dialectices est judicatrix, alia inventrix.*

Quæ est pars judicatrix?

Est, quæ discernit voces, iudicat quæ rectè connectantur, quæ non rectè jungantur, discernit & propositiones, & judicat quam rectè cohæreant membra in syllogismis & cæteris formis argumentorum, de qua hactenus dictum est, Græcè κριτικὴ.

Quæ est pars inuentrix?

Est, quæ monet quomodo res ex certis locis inuestigiandæ sint, aut proposito cumulo, docet eligere ea, quæ præsentem materiam seu quæstionem illustrant, Græcè τοπικὴ.

DIVI-

DIVISIO SYLLOGISmorum.

Quotuplices Syllogismi petuntur ex locis?

Triplices.

Demonstratiui, Dialectici, & Sophistici.

Quid est Syllogismus demonstratiuus?

Est, qui constat ex materia necessaria & immota.

Quid est Syllogismus Dialecticus?

Est, qui constat ex materia probabili,

Quid est Silogismus Sophisticus?

Est, qui constat ex falsis, sed tamen speciem veri habentibus.

(Hæc diuisio sumpta est à diversitate materiæ, quæ triplex ex locis sumitur, videlicet necessaria, probabilis & falsa, seu palam, seu speciem veri habens. Ex hac & propositionum diversa genera sumuntur.)

GENERA PROPOsitionum.

Quot sunt propositionum genera?

Tria, ut Syllogismi sunt triplices. Nam aliæ propositiones sunt certò veræ, aliæ incertæ, aliæ falsæ seu palàm falsum asseuerantes, aut speciem veri habentes.

Quæ

Quæ sunt propositiones certò veræ?

Sunt quibus rectè cognitis mens assentiri cogitur, aut propter euidentiam, vel propter demonstrationem, vel propter vniuersalem experientiam, aut testimonia non fallentia.

Quæ sunt propositiones incertæ?

Sunt quibus rectè cognitis, assensio suspenditur, aut etiam si propter concinnitatem magis inclinamus in unam partem, tamen languida est assensio.

Quæ sunt propositiones falsæ?

Quæ non congruunt cum rebus. Et sunt duplices, Aliæ speciem veri habent, vt: Voluptas est summum bonum. In alijs est manifesta falsitas, ut: Sol est halitus quotidie deflagrans.

DE CAVSIS CERTITVDINIS in doctrinis.

Quot sunt causæ certitudinis in doctrinis?

Tres. Experientia vniversalis, principia, & ordinis intellectus in iudicanda consequentia, quæ Stoici nominarunt κριτήρια doctrinarum.

Quid est vniuersalis experientia?

Est, cum de ijs, quæ sensu percipiuntur, sani homines eodem modo iudicant, vt ignem calidum esse,

esse, fœminam parere. Aliud vitam esse, aliud mortem.

Quid sunt principia?

Sunt notitiæ nobiscum nascentes, quæ sunt semina singularum artium & virtutum diuinitus insita nobis, vt inde artes extruantur, quarum usus in vita necessarius est, vt, Totum est majus qualibet sua parte. Homines nascuntur ad societatem certo ordine tuendam.

Quotuplicia sunt principia?

Duplicia.

Alia sunt speculabilia, alia practica.

Quæ sunt principia speculabilia?

Sunt noticiæ naturales seu propositiones naturæ notæ, ex quibus Physicæ & mathematicæ doctrinæ extruuntur, vt: Totum est majus qualibet sua parte: quæ sunt vni æqualia, inter se sunt æqualia.

Quæ sunt principia practica?

Notitiæ naturales seu propositiones, quæ regunt hominum mores, vt Deo est obediendum, Societas humana est conservanda.

Quod est tertium κριτήριον?

Intellectus ordinis in Sillogysmo rectè coagmentatis membris.

Cur hoc additur superioribus?

Quia in vita non satis est nosse simplices propositiones, ut sunt principia & sententiæ per experienti-

rientiam notæ. sed ex his multa ratiocinari necesse est, & contexi Syllogismos.

Quæ est præter dictas causas tres, certitudinis causa in Ecclesia Dei?

Patefactio divina certis testimonijs facta quæ extat in libris Propheticis & Apostolicis, cui non minori constantia omnes creaturas rationales assentiri oportet, quam assentiuntur ijs, quæ naturali luce cernuntur.

(Hæc assensio fides vocatur, quæ in alijs languidior, in alijs firmior est.)

Quod est discrimen ab ijs quæ diuinitus patefacta sunt?

Quædam etiam natura nota sunt, ut præcepta Decalogi. Quædam antea prorsus ignota fuerunt omnibus creaturis, vt vox Euangelij de filio Dei, de reconciliatione, de præmijs & pœnis æternis.

Quomodo nuncupatur argumentatio, quæ ex his causis certitudinis necessaria consequentia sequitur?

Demonstratio.

DE DEMONSTRATIONE.

Quid est demonstratio?

Est syllogismus, in quo aut ex principijs naturæ notis, aut vniuersali experientia, aut ex definitione de sub-

de subsumpto, bona consequentia, necessariam & immotam conclusionem extruimus, aut ex causis proximis, effectus proprios sequi ostendimus, aut e contrà procedimus.

Suntnè demonstrationes in omnibus doctrinis?

Etiam,

Dic exemplum demonstrationis in Physica?

Laceratio neruorum non est opinio, quia fit in parte non cogitante, & interdum sine cogitatione, ferro aut aliquo humore, vt in pecudibus & pueris.

Cruciatus seu dolor corporis fit laceratione neruorum, igitur cruciatus seu dolor corporis non est opinio, nec fit opinione, vt fingebat diuina Stoica.

Dic exemplum demonstrationis in Ethica.

Finis cuiuslibet naturæ est propriissima eius naturæ actio.

Voluptas non est propriissima actio hominis, sed actio virtutis.

Non igitur finis est voluptas.

Suntnè dicendæ demonstrationes, quæ extruuntur ex ijs, quæ sunt in sacris literis?

Etiam, quæ assentiri Deo patefaciendi necesse est.

Da exemplum.

Deus

Deus propter filium remittit peccata gratis omnibus dolentibus se peccasse, & fide petentibus veniam,
Ego doleo & fide peto remissionem,
Quare certum est me recipi, & exaudiri gemitus meos propter Mediatorem.

DE LOCIS ARGVMENTORUM Dialectices.

Quid est locus Dialecticus?

Locus Dialecticus est sedes argumenti seu index monstrans ex quo fonte sumendum sit argumentum, quo confirmanda est propositio, de qua dubitatur.

Quotuplices sunt loci?

Duplices, Personarum & rerum.

DE LOCIS PERSONARUM.

Qui sunt loci personarum?

Sunt indices, qui monent, quæ considerandæ sint ordine in personis.

Quot sunt præcipui?

Decem.

Recense.

Patria	*Vitæ genus*
Sexus	*Res gestæ*
Parentes	*Euentus*
Educatio	*Ætas*
Mores	*Mors.*

PAR-

PATRIA.

Dic exemplum à patria

Cretensis est,
Ergo mendax est ↓.

Quæ est Regula?

Patria bene morata auget decus, Econtra patria male morata obijcitur tanquam probrum.

SEXVS.

Dic exemplum à sexu.

Mulier est, Ergo loqui in Ecclesia non debet ↓.

Quæ est regula?

Alia masculino sexui, alia fœmineo congruunt.

PARENTES.

Dic exemplum à parentibus.

Ex fortibus & bonis natus est. Ergo bonus & fortis est. ↓.

Quæ est Regula?

De natis judicatur ex parentum naturis & moribus.

EDVCATIO.

Dic exemplum ab educatione?

Cato Stoicus est, Ergo durior & rigidior est ↓.

Quæ est regula?

Studia abeunt in mores, & consuetudo est altera natura.

MORES.

Dic exemplum à moribus?

Iulius clementer servat victos cives,
Ergo laudandus est. ✝:

Quæ est Regula?

Vera & summa laus aut vituperatio morum est.

VITÆ GENVS.

Dic exemplum à vitæ genere.

Petrus est Apostolus.
Non igitur prælietur gladio, sed doceat Evangelium. ✝.

Regula.

Aliæ actiones alijs generibus congruunt.

RES GESTAE.

Dic exemplum à rebus gestis?

David præliatus est pro Ecclesia,
Igitur laudandus est. ✝,

Regula.

Congruunt res gestæ cum vitæ genere divinitus ordinato.

EVENTVS.

Dic exemplum ab eventu.

David

David potitus est victoria,
Ergo placet Deo. ✝.

Regula.

Honestæ causæ ornantur secundis eventibus, & Deus dat iustis prosperos successus.

ÆTAS.

Dic exemplum ab ætate.

Senex est, ergo audiendus est.
Adolescens est, Ergo non regat Ecclesiam,

Regula.

Alia alijs ætatibus conveniunt.

MORS.

Dic exemplum à morte.

Caligula & Nero miserè perierunt,
Igitur à Deo reiecti sunt.

Regula.

Scelerati habent tragicos exitus. Econtra, Iusti & moderati plerunq; placida morte extinguuntur.

DE LOCIS RERVM.

Qui sunt loci rerum?

Sunt indices, quæ monent quæ considerandæ sint ordine in rebus.

Quot sunt?

Triginta unus.

Recense:

Interiores 18.
1 *Definitio & definitum*
2 *Genus*
3 *Species*
4 *Differentia*
5 *Etymologia, Nomẽ*
6 *Coniugata, Casus*
7 *Totum, Partes*
8 *Divisio*
9 *Causæ* Exterio-
10 *Effectus* res 13
11 *Antecedentia*
12 *Consequentia*
13 *Ab absurdo*
14 *A necessario*
15 *Ab impossibili*
16 *Adiuncta*
17 *Connexa, Circumstantiæ*
18 *Communiter accidentia*

Exteriores 13.
19 *Similia*
20 *Paria*
21 *Ex minore*
22 *Ex maiore*
23 *á proportiõe*
24 *Pugnantia*
25 *cõtrapositio*
26 *á contrario sensu*
27 *Disparata*
28 *Inversio*
29 *Signa*
30 *Autoritas*
31 *Testimonia*

Quomodo dividuntur rerum loci?

In interiores octodecim, quibus rei propositæ applicatur definitio, monstrantur causæ, effectus, connexa, adiacentia & adiuncta. Et in exteriores tredecim, qui longius quærunt argumenta, videlicet ex col-

ex collatione aliarum rerum, similium, aut pugnantium, aut cæterorum.

LOCI INTERIORES

Definitio.

Quotuplicia argumenta ducuntur à loco definitionis?

Duplicia, Affirmativa & negativa, idẽ, nunc à definitione ad definitum, nunc à definito ad definitionem.

Da exemplum affirmativum à definitione ad definitum?

Approbatio conscientiæ rectè iudicantis, est appetenda.

Gloria est talis approbatio.

Ergo gloria est appetenda. ∴ *Hic gloria est definitum, approbatio conscientiæ, definitio.*

Dic exemplum affirmatiuum à definito ad definitionem?

Gloria est appetenda, Ergo approbatio conscientiæ rectè judicantis vel judicantium est appetenda. Definitio est approbatio conscientiæ rectè judicantis, definitum gloria

Die regulam huius consequentiæ seu maximam?

Cui convenit definitio, eidem convenit & definitum, & econtrà.

Da exemplum negatiuum à definitione ad definitum?

Approbatio levium hominum, & non rectè iudicantium non est gloria.

Thraso appetit talem approbationem,
Ergo non appetit veram gloriam. ⏚.

Dic exemplum negativum à definito ad definitionem?

Non tenet Rhetoricam, Ergo non tenet artem ornate, prudenter, & copiose dicendi. Ars dicendi ornate, prudenter, & copiose, definitio est, Rhetorica definitum.

Dic regulam seu maximam?

Cui adimitur definitio, eidem & definitum adimitur, & econtra.

Cur definitio est primus locus?

Quia ut in qualibet explicatione ante omnia necessarium est nosse definitiones veras & non ambiguas, ita plerumq; ex hoc loco prima argumenta ducuntur, quæ & firmissima sunt.

GENVS.

Quomodo argumentamur à Genere?

Affirmative cum signo universali, & negative, etiam sine signo.

Dic

Dic exemplum affirmativum?

Omne animal est *Ergo piscis est.*
Deus est ubiq; *Ergo hic adest.* ⏚.

Dic regulam seu maximam.

A superiori cum signo universali, ad inferius semper valet consequentia affirmative & negativè.

Dic exemplum negativum?

Nulla dona Dei sunt vituperanda,
Ergo nullæ artes honestæ sunt vituperandæ.

Dic exemplum negativum. sine signo.

Lapis non est animal,
Ergo lapis non est homo. ⏚.

Dic regulam seu maximam?

A genere sine signo vniversali ad speciem tantum negative ducuntur argumenta, quia cui adimitur genus, eidem adimitur & species.

SPECIES.

Dic regulam de specie?

A specie ad genus tantum affirmativè ducuntur argumenta, vt:

Homo est,
Igitur Animal est. ⏚

Cur valet consequentia?

Quia posita specie, necesse est poni genus. Item, Cui species tribuitur, eidē & genus tribui necesse est.

DIFFERENTIA.

Dic regulam de differentia.

A differentia specifica ducuntur argumenta affirmativa & negativa.

Dic exemplum affirmativum?

Animal rationale est,
Igitur homo est. X.

Cur valet consequentia?

Quia cui tribuitur differentia specifica, eidem tribuitur species.

Dic exemplum negativum?

Est animal carens ratione,
Igitur homo non est.

Cur valet consequentia?

Quia cui adimitur differentia specifica, illi adimitur species.

PROPRIVM.

Dic Regulam de proprio?

A proprio utroq; modo argumenta ducuntur affirmativè & negativè.

Dic exemplum affirmativum.

Hic lapis trahit ferrum,
Est igitur Magnes.
Christus creat & exuscitat mortuos,
Ergo Filius Dei est omnipotens & natura Deus ✝.

Cur valet consequentia?

Quia

Quia cui tribuitur proprium, huic etiam essentiam tribui necesse est.

Dic exemplum negativum?

Non loquitur,
Igitur homo non est. ✝.

Cur valet consequentia?

Quia cui adimitur proprium, eidem adimitur ejus species.

ETYMOLOGIA, NOMEN Rei & Periphrasis.

Quomodo argumentamur ab Etymologia?

Affirmativè & negativè perinde ut à loco definitionis, ut?

Christus vocatur agnus,
Igitur est victima pro peccatis.
Non est studiosus sapientiæ,
Igitur non est Philosophus. ✝.

Quot sunt regulæ huius loci?

Duæ.

Quæ est prima?

Argumenta principalia à propriè dictis sumenda sunt ut:

Ioannes vocat Christum Filium Dei, per quem omnia condita sunt.

Ergo Ioannes affirmat Filium verè Deum esse omnipotentem & conditorem cum Patre.

Quæ est secunda?

Quando verba gignunt absurditatem intellectu sine figura, decurrendum est ad figuras, & quærenda concinna interpretatio, ut, Tyrannus est lupus, id est, similis lupo. Spartam nactus es, hanc orna, id est, honestum locum seu vocationem. Si oculus te offendit, effodito, id est, abyce falsam persuasionem, quamvis dulcem, quæ abducit à Deo.

A CONIVGATIS seu casu.

Qui sunt coniugata seu casus?

Coniugata sunt nominum derivationes, vt justicia, justus, quæ nunc concreta & abstracta appellamus,

Dic Regulam.

Cui tribuitur concretum in eodem rem esse necesse est, quæ effertur voce abstracti, vt:

Aqua est calida,
Ergo in aqua est calor,
Baptista recepit milites,
Igitur approbavit militiam.

Cur valet consequentia?

Quia approbatione exempli in subiecto approbatur res in genere.

Quando non valet consequentia in coniugatis?

Cum

Cum in coniugatis est ambiguitas, ut:

David rapiens alienam conjugem fecit tyrannicè,
Ergo David est tyrannus.

(Nego consequentiam, quia facere tyrannicè significat actionem. Esse Tyrannum, significat habitum scelerate faciendi.)

DE TOTO ET PARTIBUS.

Quomodo argumentamur à toto & partibus?

Affirmativè & negativè.

Dic exemplum affirmatiuum?

Totum iudicium est res approbata à Deo.
Ergo & partes concessæ sunt, accusare & respondere.

Quæ est regula consequentiæ?

Posito toto, necesse est poni omnes principales partes.

Dic exemplum negativum?

Huic ædificio deest tectum,
Non est igitur domus.

Quæ est regula consequentiæ?

Destructa una principali parte, totum destruitur.

DE LOCO A DIVISIONE.

Dic Regulam à loco divisionis?

In ar-

In argumentatione à divisione generis in species, seu totius in partes, fiat integra enumeratio specierum aut partium, ut:

Omnis stella aut est fixa aut Planeta,
Cometa non est fixa stella nec Planeta,
Non est igitur stella. ☓.

Cur valet consequentia?

Quia à sufficiente enumeratione specierum seu partium argumentamur affirmative & negativè.

Quando non valet consequentia à divisione?

Cum non omnes species seu partes enumerantur, ut:

Jus divinum non strangulat fures, nec Romanum vetus.
Ergo non est iustum strangulare fures.
(Non valet, quia omittuntur novæ leges Imperatorum, & consuetudo.)

DE LOCO CAVSARUM.

Quæ est prima divisio causarum?

Causarum aliæ nominantur per se causæ, aliæ per accidens.

Quid est causa per se?

Est qua posita in actu cum cæteris per se causis necesse est sequi effectum, & qua non posita in actu, etiamsi cæteræ ponantur, non potest sequi effectus.

Quæ

Quæ est causa per accidens?

Est, qua posita in actu, non est necesse sequi effectum, ut febris est causa per accidens temperantiæ.

Quot sunt causæ per se?

Quatuor: Efficiens, materia, forma, & causa finalis.

EFFICIENS.

Quid est efficiens?

Est, à quo primò fit motus, id est, quod revera, aut principaliter agit, vel aliud efficit, ut: Sartor est causa efficiens tunicæ, faber ædificij. ♃.

Quot sunt regulæ de causis efficientibus?

Tredecim.

Quæ est prima Regula?

Non positis causis sufficientibus, non sequitur effectus, ut non valet consequentia

Habet exercitum,
Ergo vincet.

Quæ est secunda?

Posito effectu necesse est causam esse, aut fuisse, ut: Ædificium est. Ergo est vel fuit architectus.

Quæ est tertia?

Causa ordine naturæ præcedit effectum, vt: Sol prior est ordine naturæ, quam sparsio radiorum.

Quæ est Quarta?

Positis causis naturalibus sufficientibus & non

impe-

impeditis, si sit admota materia, sequitur effectus necessitate Physica, ut:

Stipulæ coniectæ sunt in ignem,
Ergo urentur.

Quæ est quinta?

Naturalis causa uno & eodem modo agit, etiamsi in diversis subiectis videntur dissimiles effectus, ut:

Solis calor liquefacit ceram, durat lutum.

Quæ est sexta?

Voluntaria causa potest cessare & agere dissimiliter, ut faber volens aut ædificat aut non ædificat. & cum vult facit molem quadratam aut rotundam.

Quæ est septima?

Voluntatis divinæ, quæ est immutabiliter bona, omnes effectus boni sunt. valet igitur consequentia.

Deus condidit politias.
Ergo politiæ sunt res bonæ & Deo placentes,

Quæ est octava?

Voluntatis humanæ, quæ est mutabilis, effectus sunt dissimiles. Non igitur valet consequentia.

Voluntas Davidis fuit hactenus iusta.
Ergo omnes eius actiones sunt iustæ.

Quæ est nona?

In causis essentialiter ordinatis impossibile est progredi in infinitum. Igitur necesse est pervenire ad unam primam causam, quæ habet potentiam infinitam, quæ est Deus.

Quæ est decima?

Caus

Causas accidentaliter ordinatas non necesse est simul poni, ut cum duo equi simul trahunt currum.

Quæ undecima?

Impossibile est causam efficientem totalem genere deteriorem esse effectu. Ideo necesse est primam causam rerum esse naturam intelligentem.

Quæ est duodecima?

Lex referenda est ad causas efficientes, quia est cogitatio principaliter movens agentem, ut:

Non est injuste faciendum pareutum aut amicorum causa.

Recte igitur fecit Ionathas, quod texit Davidem contra dictum patris.

Quæ est tredecima?

A causis per accidens non valet consequentia, nam sæpissime fit, ut non sequatur effectus, ut:

Laboravit febri,
Ergo factus est temperans.
Venit in judicium,
Ergo odit adversarium.

MATERIA.

Quæ est Materia?

Est ex qua aliquid fit, ut, ex farina fit panis, ex elementis fiunt mixta corpora. ♃.

(Et tribuitur nomen materiæ ex qua, tantum substantiis, non accidentibus.)

Quot sunt regulæ de accidentibus?

Quatuor.

Quæ

Quæ est prima ?

Cui adimitur materia, adimuntur & partes materiæ & accidentia propria illi naturæ seu subiecto, vt:

Stellæ non sunt conflatæ ex elementis,
Ergo non aluntur vaporibus.

Quæ est secunda ?

Accidentia propria mentis, non sunt tribuenda corpori, nec econtra, ut:

In statua non est mens,
Ergo nec est notitia vel cogitatio.

Quæ est tertia ?

Accidentia non possunt esse sine subiecto, quare destructo subiecto, accidentia etiam intereunt, ut:

Oculus est corruptus,
Ergo extincta est visio.

Quæ est quarta ?

Diversæ materiæ variant rerum dignitatem, ut: Thorax aureus est pretiosior ferreo.

FORMA.

Quid est forma ?

Est, quæ dat esse rei, id est, ipsa rei consummatio seu quasi ædificatio, qua res est talis, ut figura navis, aut domus exædificatæ est ipsa forma.

Quotuplices sunt Formæ ?

Duplices: Substantiales, ut Bos constans ex materia & forma Et accidentales, ut accidentia quæ per se formæ sunt, vt virtus, justicia. Dic

Dic Regulam de Forma ?

Posita forma substantiali res ipsa ponitur, Et vbi non est forma substantialis, ibi nec res est eius speciei, cuius est forma illa specifica, vt:

Stellæ non habent animas insitas,
Igitur non sunt animalia,

DE CAVSA FINALI.

Quid est causa finalis ?

Est cogitatio de fine seu usu, qua movetur & regitur agens in opere instituendo.

Quid est Finis ?

Est ipse usus rei, ut finis calcei est muniri pedem.

Quot sunt Regulæ de causa finali ?

Tres.

Quæ est prima ?

Omnes res tota natura conditæ sunt ad aliquos fines, usus aliquos.

(Ideo dixit Aristoteles, Natura nihil facit frustra. Item, Natura agit propter finem.)

Quæ secunda ?

Vnius rei possunt esse multi fines, sed subordinati, vt, Vinum nutrit & sanat: Homo conditus est vt agnoscat & celebret Deum. Item, ut juvet communem societatem.

Quæ est tertia ?

Propter quod unumquodq; appetitur, illud magis appetitur, vt:

Avarus appetit navigationem propter pecuniam,
Ergo pecuniam magis appetit.

Dic communem regulam de omnibus causis?

Positis omnibus causis sufficientibus in actu, fit effectus.

DE EFFECTIBVS.

Dic regulam de effectibus.

Effectu posito, necesse est causas proprias esse vel affuisse, vt:

Homo est natura intelligens.
Ergo necesse est eius architectum esse intelligentem. ✝.

DE LOCO ANTECEDENtium & consequentium.

Quid sunt Antecedentia?

Non sunt proprie causæ, sed aut præparationes rei, aut subiecta, aut signa, ut Messem antecedit satio, curationem morbus, Solis ortum aurora.

Quid sunt consequentia?

Sunt quæ comitantur rem, etsi non sunt propriè effectus, vt posterior dies sequitur priorem: Cruciatus animi sequitur conscientiam scelerum.

Quotuplicia sunt?

Duplicia, Alia necessariò seu semper antecedunt, alia plerunq;: sic & consequentia differunt.

Quæ

Quæ est regula de antecedentibus?

Valet argumentum ab antecedente ad consequens, seu necessariò, seu probabiliter, vt:

Venit in aulam,
Ergo incidit in pericula.

Quæ est regula de consequentibus?

Posito consequente, valet argumentum cum ostendimus præcessisse illud antecedens, quod semper præcedere solet, vt:

Pervenit ad metam,
Ergo iter fecit per priora spacia.
Iustificati fide, pacem habemus,
Præcedunt igitur pavores in iustificandis.

DE ABSVRDO.

Quotuplex est absurdum?

Duplex Quomodo?

Aliud est absurdum in Philosophia, aliud in doctrina Ecclesiæ.

Quid est absurdum in Philosophia?

Est, quod immediatè pugnat cum communi sensu, id est, principijs natura notis, aut universali experientia. ✝.

Quæ est regula de absurdis in Philosophia?

Absurda reijcienda sunt, & hypotheses falsas esse necesse est, ex quibus absurda sequuntur, vt: Ex Epicuri dogmate de voluptate, sequitur absurdum

videlicet, concedi voluptates, Ergo dogma Epicuri est falsum.

Quod est absurdum in doctrina Ecclesiæ?

Quod pugnat cum testimonijs divinis non malè detortis. ✝.

Quod sunt regulæ de absurdis in doctrina Ecclesiæ?

Duæ.

Quæ est prima?

Vitanda est absurditas, id est, sententia pugnans cum perspicuis præceptis moralibus, aut articulis fidei vt Christus ait: Si oculus tuus offendet te, effodias eum, Ergo præcipit lacerationem corporis.

(Hic est absurditas, quia consequentia pugnat cum lege divina. Non occides. Igitur decurrendum est ad figuram, quærenda concinna interpretatio; videlicet abiicias dulcia, quæ abducunt à Deo.

Quæ est secunda?

Generalia dicta vitandæ absurditatis caussa restringenda sunt, ut cum dicitur: Non vindicantes vos ipsi, vindictæ prohibitio ad privatam restringenda est.

DE NECESSARIO.

Quid est necessarium?

Est quod aliter se habere non potest. ✝.

Dic

Dic regulam de necessario?

Cognita necessitate in artibus & consilijs, sublata dubitatione, mens assentiatur & obtemperet necessarijs vt:

Bis quatuor sunt:
Ergo octo esse necesse est.
Pater est.
Ergo necesse est, vt alat sobolem.

AB IMPOSSIBILI.

Quid est impossibile?

Est, quod repugnat ei, quod esse aut fieri potest.

Quæ est regula de impossibili?

Cognita impossibilitate in artibus aut consilijs, reijcienda sunt impossibilia, sublata omni dubitatione, vt:

Impossibile est Phaetonti regere Solis currum
Ergo tantæ rei conatus omittendus est.

CONNEXA SEV CIRCVMstantiæ.

Quid sunt Connexa?

Sunt velut proprietates rerum, sine quibus res esse non possunt, vt: tempus, locus, sexus, auxilia, eventus, & similia, quæ & circumstantiæ appellantur.

Quis, quid, vbi, quibus, auxilijs, cur, quomodo, quando? ✝.

Quæ est Regula de tempore?

Posito corpore, aut alia quacunq; re, necesse est ei tempus attribui. Item remoto tempore universaliter, res ipsa removetur, vt:

Pythagoras nondum natus fuit Numæ tempore.
Non igitur fuit auditor Pyrhagoræ Numa.

Dic Regulam de loco?

Posito corpore aut alia quacunq; re finita, necesse est ei locum attribui. Item unum corpus seu una res finita non est simul in pluribus locis: & absentia membra nihil agunt in eo loco vnde absunt, vt:

Cicero non est Romæ, cum Iulius interficitur,
Non igitur sua manu interfecit Iulium.

ADIACENTIA ET adiuncta.

Quid sunt adjacentia?

Sunt perpetua specierum accidentia, quorum coacervatio reipsa est speciei proprietas.

Quæ sunt adjuncta?

Sunt, quæ semper comitantur rem natura vel ordinatione aliqua, vt vmbra comitatur corpus positum ad lumen. Recte facta comitatur gloria: Atrocia delicta comitantur pœnæ. ✝.

Dic

Dic regulam adjacentibus & adiunctis?

Posita specie, simul ponuntur adjacentia & adiuncta, & rursus destructa specie, destruuntur adiacentia & adjuncta, vt:

Metalla gravia sunt,
Ergo multum in eis terræ est,
Episcopus est,
Ergo timeat Deum, recte intelligat doctrinam Evangelij, & sedulo doceat, sit amans concordiæ & pacis in Ecclesia.

COMMVNITER ACCIdentia.

Quæ dicuntur communiter accidentia?

Quæ plerunq; accidunt, vt:

Hyems est, Ergo navigatio est difficilior.
Ebrius est, Ergo est calidus. ✝.

Quomodo differunt communiter accidentia ab adjacentibus?

Adjacentia sunt perpetua, & gignunt firmiores probationes, sed communiter accidentia, etsi plerunq; accidunt, tamen interdum impediuntur, vt: Igni semper inest calor, sed ebrio plerunq; accidit, vt fiat calidior.

LOCI RERVM EXTERIOres tredecim. Similia.

Quæ vocantur similia in doctrina locorum?

Non solum duæ qualitates similes, sed etiam officia, quorum est aliqua convenientia, vt judex, arbiter, bonus princeps.

Dic Exemplum à simili?

In pictura summum decus est rectissimè imitari naturales figuras corporum,

Ergo & in eloquentia summum decus est, res verè cogitatas oratione propria exprimere.

Quando valet consequentia à similibus?

Cum fit collatio earum partium, quæ congruunt, vt cum collatio specierum refertur ad genus vel ad alias communes qualitates, non ad specificas differentias.

Quando non valet consequentia à similibus?

Cum collatio fit earum rerum, quæ dissimiles sunt.

PARIA.

Quæ uocantur Paria?

Duo facta specierum vicinarum sub eodem genere, quorum eadem est ratio, nec multum antecellit alterum alteri, vt:

David in casu necessitatis usus est panibus Sacerdotum.

Ergo

Ergo & Maccabæus piè fecit, cum in causa necessitatis in Sabbato prælians est.

Cur valet hæc consequentia?

Quia ceremoniæ præserenda est necessitas & lex moralis, juxta regulam: Lex inferior cedit superiori.

A MAIORE.

Quomodo argumentamur à maiore?

Ad minus negative tantum, vt:

Rex non potest oppugnare arces,

Ergo multo minus aliquis inferior præses. ✝.

Dic Regulam consequentiæ?

Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur.

A MINORE.

Quomodo argumentamur à minore?

Ad maius affirmative, vt:

Licet Sabbato bovem servare,

Ergo multò magis hominem. ✝.

Dic Regulam consequentiæ?

Si id inest, quod minus inesse videtur, multò magis id inest, quod magis inesse videtur.

DE PROPORTIONE.

Quid est proportio?

Est duarum quantitatum ejusdem generis collatio inter se, quæ certa appellatione exprimitur, vt: quaternarij ad binarium dicitur esse proportio dupla Græcè λόγος.

Quid est proportionalitas?

Est duarum proportionum similitudo, vt sicut se habent quatuor ad duo, sic se habent sex ad tria, Græcè ἀναλογία.

Dic exemplum à proportione?

Sicut se habet gubernator ad navem, sic se habet Episcopus ad Ecclesiam,

Sed gubernator regit & gubernat navem,

Ergo & Episcopus regat & gubernet Ecclesiam.

Quotuplex est analogia seu proportionalitas?

Duplex. Quomodo?

Arithmetica & Geometrica.

Quid est analogia seu proportionalitas Arithmetica?

Est, cum tres aut plures termini ita dispositi sunt, vt servetur æqualitas differentiæ, vt 1.2.3.4. &c. Hic sequens numerus superat præcedentem & superatur à sequente, tantum unitate, Hac vtimur in contractibus, vt:

Sic ut se habent 1.2.3.4. æqualibus differentijs distantes, ita etiam æqualia dentur in contractibus commutatione precij & mercedis, absque respectu

seu collatione personarum. Quare tantum dandum est regi in venditione, quantum subdito rustico.

Quid est analogia seu proportionalitas Geometrica?

Est, cum tres aut plures termini ita dispositi sunt, vt servetur similitudo proportionum, neglecta numerorum differentia, vt 3. 6. 12. 24. &c. quæ ita inter se conferuntur.

Sicut se habent 3. ad 6. ita se habent 12. ad 24.

Hac utimur in collatione personarum, graduum & rerum, permutata proportione, hoc modo:

Sicut se habent 1000. ad 100. sic se habet Cancellarius ad Quæstorem.

Sed Quæstori dantur 100. aurei nummi,

Ergo Cancellario dentur aurei 1000.

LOCVS A PVGNANTIBUS.

Quotuplicia sunt pugnantia?

Quadruplicia, Contraria, privativè opposita, relativè opposita, Contradictoria.

Quæ vocantur hic contraria?

Duæ qualitates inter se oppositæ, quarum vna pellit alteram, aut quarum una posita in gradibus excellentibus, altera in eodem subiecto simul non ponitur, ut: calor frigus, humiditas siccitas, iustitia iniustitia, virtus vitium, lætitia tristitia.

Quotuplicia sunt contraria?

Duplicia Immediata, vt siccitas, humiditas. Et mediata, vt albedo, nigredo. Sunt enim medij colores ruffus, viridis, cæruleus, &c.

Quod sunt Regulæ de contrarijs?

Quatuor.

Quæ est prima?

Duæ qualitates graduum excellentium non sunt simul in eodem subiecto, vt aqua valde calefacta, non potest esse frigida.

Quæ est secunda?

Omnia pugnantia opponuntur juxta differentias, quibus dissident, non juxta genus, aut communia accidentia, vt valet consequentia:

Pater genuit,
Ergo filius non genuit,
Non valet,
Pater est robustus,
Ergo filius non est robustus.

Quæ est tertia?

In omni oppositione vitanda est ambiguitas, nam vera oppositio illa dicitur, quæ intelligitur de eodem tempore, eodem subiecto, & respectu eiusdem.

Igitur non valet:
Æthiops est albus dentibus, & niger facie,
Ergo est albus & niger,

Quæ est quarta?

Posita vna qualitate in gradibus excellentibus, removetur contraria qualitas, vt: *Paries*

Paries est niger,
Ergo non est albus.

Sed contrà, remoto uno contrario, non oportet poni alterum, præsertim in contrarijs mediatis, vt non valet consequentia.

Vestis non est alba,
Ergo est nigra.
Potest enim esse medij coloris, & cærulea.

RELATIVE OPPOSITA.

Quid sunt Relativè opposita?

Relativum & correlativum, vt pater filius, dominus servus, emptio, venditio.

Quæ est Regula de relativè oppositis?

Posito relativo, necesse est poni correlativum, sed in alio subiecto, vt:

Est filius,
Ergo habet patrem.

Et econtra, destructo altero, destruitur alterum, vt:

Non est dominus,
Ergo servum non habet.

PRIVATIVE OPPOSITA.

Quid sunt priuativè opposita?

Sunt habitus & privatio.

Quid est Habitus?

Est res, quæ verè est aliquid positivè,

Quid

Quid est Privatio?

Est rei amissio & destructio, ut cæcitas, tenebræ, inscitia. ✝.

Quæ est Regula de privative oppositis?

In gradibus excellentibus detracto habitu necesse est subjecto tribui privationem, & econtra, vt:

Furiosus est,
Igitur non consentit.
Ætas pueri non iudicat,
Ergo non facit votum.

CONTRADICTIO.

Quid est contradictio?

Duæ propositiones categoricæ contradictoriæ, id est, quarum altera est affirmativa, altera negativa, vt:

Sol movetur, Sol non movetur. ✝.

Quæ est regula de contradictoriis?

Est hæc: Impossibile est duas contradictorias, in quibus non est ambiguitas, simul veras aut falsas esse, quare vna parte contradictionis recepta, necesse est alteram reiici juxta hoc principium. Quodlibet est aut non est, vt: Si hæc est vera, Cœlum movetur, falsa est: Cœlum non movetur.

FORMA PER CONTRApositionem.

Quæ est forma argumentandi à contrapositione

Est, cum ex universali affirmativa ducitur per contrapositionem consequens negativum à genere ad speciem, vt:

Omnis homo est animal,
Ergo quicquid non est animal, non est homo. ✝.

Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit,
Ergo omnis non audiens verba Dei, non est ex Deo.

A CONTRARIO SENSV.

Quid est forma argumentandi à contrario sensu?

Est, cum subjecto & prædicato adduntur negationes in altera propositione, etiamsi non fiat conversio, vt:

Omnis agens pœnitentiam, & credens sibi remitti peccata propter filium Dei, recipitur à Deo.
Ergo omnis non agens pœnitentiam, nec credens non recipitur. ✝.

Quando valet hæc forma?

Cum prædicatum est definitio, aut proprium, aut causis proprij effectus attexuntur, aut contrà.

A DISPARATIS.

Quæ dicuntur disparata?

Duæ ſpecies diverſæ, quæ in unam rem confundi non poſſunt, vt homo & aſinus, albedo & ſcientia.

Quæ eſt regula de diſparatis?

Poſita vna ſpecie, removentur omnes diſparatæ, vt:

Scientia eſt qualitas mentis,
Ergo non eſt magnitudo vel figura.

INVERSIO.

Quid eſt Inverſio?

Eſt forma argumentandi, cum cauſam, quam adverſarius pro ſe citat, maxime contrarium confirmare oſtendimus, vt:

Vlyſſes ſepelijt Aiacem,
Ergo occidit. ♆.

Id invertitur: imò ſi occidiſſet, non ſepelijſſet.

Ignoſcendum eſt adverſarijs veræ doctrinæ, quia non didicerunt doctrinam Eccleſiæ.

Invertitur ſic: Ergo magis delinquunt, quia utrumq; grave ſcelus eſt, non diſcere, & de rebus incognitis pronunciare.

A SIGNIS.

Quid eſt Signum?

Eſt quiddam incurrens in ſenſus, quod ratiocinantem commonefacit de alia re, quæ coniuncta eſt illi ſigno, vt Pallor perpetuus eſt ſignum malæ concoctionis in iuvenili corpore. ♆.

Quotuplicia ſunt ſigna?

Dupli-

Duplicia. Alia dicuntur neceſſaria, quæ ſunt cauſſæ vel effectus, res ſignificatæ, vel perpetuò coniunctæ cum cauſſis aut effectibus, vt: Luceſcere eſt neceſſarium ſignum exorti Solis, Græcè τεκμήρια vocantur. Alia non neceſſaria, quæ communiter accidentia vocamus vt Pallor eſt ſignum non neceſſarium amoris, Græci εἰκότα appellant.

Dic regulam?

A ſignis neceſſarijs valet conſequentia perpetuò, vt Lac habet, Ergo eſt prægnans, aut peperit. Sed à non neceſſarijs plerunq; valet, non perpetuò, vt:

Boreæ ſpirant,
Ergo erit ſerenitas.

LOCVS AB EXEMPLIS.

Quid ſunt exempla?

Sunt facta ſimilia, quæ in aliqua ſpecie congruunt de quibus propter ſimilitudinem idem judicatur.

Quomodo valet conſequentia in exemplo?

Cum ratio factorum eſt ſimilis, ut:

Theodoſius rectè fecit claudens templa Idolorũ,
Ergo pij principes, qui Idolorum cultus prohibent, rectè faciunt.

Quando non valet conſequentia?

Primò, cum ratio factorum eſt diſſimilis, vt:

Petrus occidit Ananiam,
Ergo Episcopis licet punire gladio delinquentes.

Neganda est consequentia, quia hæc sunt dissimilia facta, punire verbo, & punire gladio.

Secundo non valet consequentia, cum exempla citantur pugnantia cum legibus, ut:

Cambyses occidit sororem,
Igitur idem licet alijs.

Neganda est consequentia, & ratio est, quia allegare inconveniens, non est solvere.

AVTORITAS.

Quid est autoritas?

Est testimonium probati artificis ♱.

Quot sunt Regulæ de autoritate?

Duæ præcipuæ.

Quæ est prior?

In Philosopoia valet tantum affirmativè argumentum ductum ab autoritate, vt:

Cicero dicit Poetam valere natura,
Ergo hoc verum est.

Quæ est altera?

In doctrina Ecclesiæ valent argumenta ducta ab autoritate & affirmativè & negativè, vt:

Paulus ait homines iustificari fide,
Ergo hoc verum est.

Nus-

Nusquam legitur dæmones esse salvandos,
Ergo dæmones non salvabuntur:

TESTIMONIA.

Quæ est regula de testimonijs?

Valet argumentum, cum testimonia firma sunt in quolibet genere. ♱.

Quid cognatum est testimonijs?

Sententiæ, quarum aliæ vocantur γνῶμαι, aliæ χρεῖαι.

Quid sunt γνῶμαι?

Sunt in philosophia morali præcepta de moribus, quæ sunt velut communes regulæ vitæ, vt Ne quid nimis. vel sunt dicta de eventibus ipsis, seu bonis, seu malis, vt:

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemq; metumq; suis.

Quid sunt χρεῖαι?

Sunt dicta quorumcunq; artificum aut hominum, quibus autorum nomina adduntur, vt Theseus dixit, Non est turpe hominibus affici mutuis miseris.

DE COMPARATIONE.

Quot modis utimur dictis locis?

Duobus, aut in simplici quæstione, ut cum quæritur, quare ebrietas lædat cerebrum. aut in comparatione, vt cum Medicus quærit, vnde sint insomnia, utrum ex siccitate cerebri, seu calore ni-

mio seu ex cruditate in ventriculo non edente balitus somno vtiles.

Quot sunt regulę de comparatione?

Tres.

Quæ est prima?

Inventa seu animadversa demonstratione in speculabilibus, reijcienda est contraria imaginatio,

Quæ est secunda?

In speculabilibus ambiguis, cum duo verisimilia proponuntur, quæritur vtrum sit verisimilius.

Quæ est tertia?

In practicis quia fit comparatio de electione, bona sunt eligenda, mala fugienda.

Et in his gradibus sunt honestum, utile, suave. Hæc si non sunt coniuncta, honestum anteferendum: ut Confessio veræ doctrinæ retinenda est, etiamsi hæc vita corporalis amittenda sit.

DE NOMINIBVS DIstinctionum?

Quid est doctrina de distinctionibus?

Est quasi rerum numeratio, ostendens quæ iungi, & quæ divelli oporteat, vt: Aliud est Deus, aliud creatura, aliud substantia, aliud accidens.

Quotuplex est distinctio?

Duplex. Realis & Rationis.

Quæ

Quæ est distinctio Realis

Est rerum diversitas non imaginatione tantum facta, nec à voluntate nostra instituta, sed quarum naturæ sunt aliæ, vt aqua & frigus.

Quot sunt regulæ de distinctione reali? *Duæ.*

Quæ est prior?

Realiter distinguuntur omnia quæ separari possunt, vt aqua a frigore, anima à noticia, virtus á vitio.

Quæ est altera?

Quæ subjectis distinguuntur, realiter distinguntur, vt opinio & affectus.

Quæ est distinctio rationis?

Est, cum cogitatio aut voluntas facit discrimen in re una & eadem, vt idem aer est superior & inferior. Vna eademq; substantia est intelligens & appetens.

Quomodo fiunt distinctiones rationis?

Cum nostra cogitatio aut voluntas unicæ actioni plures fines attribuit, aut unicæ rei quasi plures personas induit, vt eadem pugna Davidis est opus politicum & cultus Dei, quia voluntas refertur ad defensionem civium, & ad illustrandam gloriam Dei, Idem Roscius alias est Palamedes, alias Vlysses.

DE RATIONE DISSOLVENdi vitiosa argumenta.

1. Tabella de ratione solvendi vitiosa argumenta.

Ratio solvendi vitiosa argumenta est triplex, sit enim vel
- 1. Reprehensione consequentiæ, cũ vitium est in forma.
- 2. inficiatione cum vitium seu falsitas est in materia.
- 3. Data instantia, hoc est, exemplo opposito, cum propositio ratione satis perspicua refutari non potest.

2. De vitijs argumentorum.

Vitium argumenti aliàs est in
- 1 Forma, & reycitur totum argumentum reprehensione consequentiæ.
- 2. Materia, quæ vel est.
  - 1. Falsa, & solvitur inficiatione vel maioris vel minoris propositionis in syllogismo, vel antecedentis, vel consequentiæ in enthymemate, inductione & exemplo.
  - 2. Ambigua orta vel ex
    - 1. reb. solvitur distinctione maioris vel minoris.
    - 2. genere sermonis, & (vel antecedentis.

3. De

3. De fallaciis.

Fallaciæ sunt aut
- 1 In dictione cuius species sunt 6.
  - 1. Æquivocatio
  - 2 Amphibolia
  - 3. Compositio,
  - 4. Divisio.
  - 5. Figura dictionis
  - 6. Accentus.
- 2. Extra dictionem cujus species sunt 7.
  - 1. Fallacia accidentis.
  - 2. A dicto secundum quid ad dictum simpliciter.
  - 3. Secundum non causſam vt causſam.
  - 4. Fallacia consequentis.
  - 5. Fallacia secundum plures interrogationes
  - 6. Petitio principij.
  - 7. Ignoratio Elenchi.

Quotuplex est ratio dissolvendi vitiosa argnmenta?

Duplex, Aut enim vitium est in forma tantum, id est, in consequentia, aut est in materia seu rebus

Quomodo solvitur argumentum cum vitiũ est in consequẽtia?

Rejicitur totum argumentum reprehensione conscientiæ.

Quomodo, cum vitium est in materia seu rebus?

Triplex est via Nam solvitur aut inficiatione aut distinctione, aut solutione per instantiam.

DE VITIIS FORMAE. seu consequentiæ.

Quæ est regula de reprehensione consequentiæ?

Est hæc: Cum discrepat consequentia ab aliqua regula supra tradita, totum argumentum reprehensione consequentiæ rejiciatur, & monstretur regula à qua discrepat, vt:

In omnibus sanctis in hac vita manet peccatum,
Adulterium est peccatum,
Ergo in sanctis manet adulterium.

(Neganda est consequentia, & ratio est, quia in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur.)

DE VITIIS MATERIAE.

Quando vitium est in materia seu rebus?

Cum major aut minor propositio falsa est, aut ambigua, & solvitur aut per inficationem, aut per distinctionem, aut per instantiam.

Quando solvitur per inficiationem?

Cum propositio vel major vel minor falsa est. ✝.

(Hoc est, *cum aut definitio non congruit, aut causæ, aut*

aut effectus, quorum fit mentio, non congruunt, aut cætera, de quibus in locis traditur) vt:

Non decet fucus & accersitus ornatus inutilis,
Ergo eloquentia non decet Philosophos,

Nego minorem, nam definitio est falsa: Eloquentia enim est facultas, res veras recte & perspicue bono genere sermonis exponendi, & in hac expositione elocutio non est fucus, sed est nativa & non monstrosa forma orationis.

Aliud.

Omnis invocans Deum conditorem, verum Deum invocat,
Turcæ invocant Deum conditorem.
Ergo verum Deum invocant.

Respondeo per inficiationem, & nego minorem quia Turcæ non invocant Deum conditorem. Negant enim hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri IESV Christi, & cum Filio & Spiritu sancto res creavit, & se illustribus testimonijs patefecit Ecclesiæ.

DE DISTINCTIONE.

Quando solvitur argumentum per distinctionem?

Cum propositio major aut minor est ambigua, quam distinguere oportet.

Quotuplex est ambiguitas?

Duplex. Quomodo?

Alia oritur ex genere sermonis, ✝. & judicatur ex Grammatica & Phrasi suæ linguæ. Alia oritur ex rebus, ✝ & iudicatur ex ea arte, ad quam controversia pertinet.

Ex rebus, hoc est, aut ex genere aliquo, vbi specierum distinctio prætermissa est, aut ex divisionibus non sufficientibus. Ideo posito genere videndum est, de qua specie proprie prædicatur.

Dic exemplum ambiguitatis, quæ oritur ex genere sermonis.

Verba activa significant actionem,
Deus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis,
Ergo Deus efficit impiam pertinaciam in Pharaone, et & est causa peccati ✝.

Respondeo ad maiorem per distinctionem, Indurabo dictum est, pro sinam indurescere, cum me audire nolit. Quia in Hebræa lingua verba activa valde crebro permissionem significant, non actionem.

Dic exemplum ambiguitatis ortæ ex rebus?

Nullus peccator auditur, Joh. 9.
Omnes homines sunt peccatores.
Ergo nulli homines exaudiuntur. ✝.

Respon-

Respondeo per distinctionem ad maiorem. Alij homines sunt peccatores agentes pœnitentiam, alij non agentes pœnitentiam, de quibus maior loquitur.

DE SOLVTIONE per instantiam.

Quando solvitur argumentum per instantiam?

Cum propositio aliqua non satis perspicua ratione refutari potest, breviter eam opposito exemplo regamus, vt:

Legati seu nuncij in itineribus non violentur,
Ergo nec iste nuncius violandus fuit. ✝

Respondeo ad antecedens per instantiam.

Athenienses interceperunt Legatos Lacedæmoniorum euntes ad regem Persicum, vt eum sibi adjungerent contra civitatem Atticam.

DE FALLACIIS.

Quid est Fallacia?

Est deceptio in argumento, quæ specie aliqua veri insidiatur auditori,

Quæ est divisio fallaciarum?

Aliæ vocantur fallaciæ in dictione, aliæ extra dictionem.

Quæ

Quæ sunt fallaciæ in dictione?

Sunt, ubi ambiguitas, quæ parit errorem, magis est in sermone, quam in rebus, vt:

Ira Dei venit super filios incredulitatis,
Ergo filij nati ex incredulis, non possunt converti ad Deum.

(Hic phrasi Hebraica vocat filios incredulitatis inobedientes & contumaces.)

Quæ sunt fallaciæ extra dictionem?

Sunt, ubi deceptio magis confusione rerum, aut mala connexione oritur, quam ex Grammatica, vt:

Peccatum non gignit hominem,
Concupiscentia gignit hominem
Igitur concupiscentia non est peccatum, ✝.

(Maior est falsa, quia est rerum confusio, nam generatio quæ tribuenda erat naturæ, tribuunt morbo propter vicinitatem, quia hæret in natura.)

FALLACIAE INDICTIONE.

Quot sunt fallaciæ in dictione?

Sex.	Quæ?
1 Æquivocatio,	4 Divisio,
2 Amphibolia,	5 Figura dictionis
3 Compositio	6 Accentus.

DE AEQVIVOCATIONE.

Quid est æquivocatio?

Est

Est titulus deceptionum, in quibus deceptio fit ambiguitate unius vocis:

Brachium est corpus,
Deus habet brachium,
Ergo Deus est corporeus.

(Nego consequentiam, & ratio est, quia est fallacia æquivocationis. In maiore brachium propriè dicitur de brachio, quale est humanum. In minore metaphorice significat potentiam, seu robur, seu efficaciam.)

AMPHIBOLIA.

Quid sunt Amphibolia?

Sunt, ubi syntaxis aut plura verba errorem pariunt, vt: Ajo te Æacida Romanos vincere posse. Civitas Attica salua erit in muris ligneis, ✝.

COMPOSITIO.

Quid est Compositio?

Est titulus captionum, qui monet interdum ambiguitatem oriri ex compositione eorum, quæ erant disiungenda, vt:

Quicquid est in mea domo, est in oppido,
Vnicus fons est in domo mea,
Ergo unicus fons est in oppido. ✝.

Nego consequentiam, quia ambiguitas est in compositione particulæ unicus, quæ non debet referri ad prædicatum in oppido.

Aliud

Aliud.

Duo & tria sunt paria & imparia,
Quinq; sunt duo & tria,
Igitur quinq; sunt paria & imparia.

Quid est divisio?

Est titulus captionum, quæ ex divisione membrorum oriuntur, quæ coniungi oportet, vt:

Omnes sapientes Græciæ sunt septem,
Solon & Periander sunt sapientes Græciæ
Ergo Solon & Periander sunt septem.

Nego consequentiam, quia ambiguitas oritur ex divisione. In maiore particula (omnes) posita est collective, ideo non recte subsumitur.

Quomodo fit fallacia divisionis?

Aut cum membra malè distinguuntur, aut cum testimonia mutilata citantur.

FIGVRA DICTIONIS.

Quid est Figura dictionis?

Est titulus captionum, qui comprehendit ambiguitates seu errores, qui oriuntur ex depravatione casuum aut generum, aut ex syncategorematum, aut præpositionum, aut coniunctionum abusu, aut iis quæ posita sunt τεχνικῶς, ut vulgo nominant, non significative, item quos ἀκυρολογίαν pariunt.†.

Die

Dic exemplum ex mutatione casuum?

Caseus est nequam,
Tu es Caseum,
Ergo tu es nequam,

Dic exemplum expositis τεχνικῶς.

Mus rodit caseum,
Mus est syllaba,
Ergo syllaba rodit caseum.

Aliud.

Animal est generis neutri,
Vrsus & Vulpes sunt animalia,
Ergo vrsus & vulpes sunt generis neutri.

Die exemplum ex ἀκυρολογίᾳ.

Quicquid non amisisti, habes,
Cornua non amisisti,
Ergo cornua habes.

Aliud.

Deus inquit: Ego indurabo cor Pharaonis.
Ergo Deus est caussa peccati.

Nego consequentiam, & ratio est, quia est ἀκυρολογία in verbo indurabo, & significat sinam indurescere.

ACCENTVS.

Quid est accentus?

Est titulus captionum, in quibus ambiguitas oritur

tur ex accentu, aut diphthongis, aut gestu pronunciationis, aut ex iis, quæ μιμικῶς dicuntur, id est recitativè.

Dic exemplum de accentu?

In ara sacrificatur,
Stabula porcorum sunt hæc,
Ergo in stabulis porcorum sacrificatur.

Dic exemplum de Diphthongis?

Equus est animal hinniens,
Hic contendens omnia esse Imperatoris, habet æquum.
Ergo habet animal hinniens.

Dic exemplum de gestu pronunciationis?

Christus inquit ad Apostolos: Dormite iam & requiescite,
Ergo rectè fecerunt.

Ironia est, quæ aliter effertur quam simplex narratio, & continet reprehensionem securitatis & negligentiæ. Sic sæpe affirmativa oratione significamus negativam, aut econtra, quod gestu pronunciationis indicatur.

Dic exemplum ex dictis μιμικῶς.

Paulus inquit: Non attingas, non gustes, non contrectes,
Ergo prohibet usus ciborum.

Nego

Nego consequentiam, quia est ambiguitas, nam Paulus hæc membra μιμικῶς recitat, tanquam exempla traditionum, quas reprehendit. Non est assevratio docentis.

FALLACIA EXTRA dictionem.

Quot sunt modi fallaciarum extra dictionem?

	Septem.	Qui?
1.		Fallacia accidentis.
2.		A dicto secundum quid ad dictum simpliciter
3.		Secundum non causam, vt causam.
4.		Fallacia consequentis.
5.		Fallacia secundum plures interrogationes.
6.		Petitio principij
7.		Ignoratio Elenchi.

De Fallacia accidentis.

Quid est fallacia accidentis?

Est titulus captionum, in quibus aliquid soli substantiæ conveniens, tribuitur ejus accidenti, aut cum accidentia non rectè conjunguntur, aut cum ab eventu per accidens, ratiocinamur aliquid adesse per se, seu propter illud tanquam veram causam, vt:

David est beatus,

David est adulter,
Ergo adulteri sunt beati. ✝.

(Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis, nam non adulterium, sed pœnitentia Davidis causa fuit per se, cur salvatus est David.)

Dic exemplum, in quo accidentia male coniuncta sunt.

David est ruffus & est Musicus,
Ergo est ruffus Musicus.

(Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis, quia male confunduntur accidentia animæ & corporis.)

A dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Quid est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter?

Est titulus captionum, cum aut à particulari ad universale argumentamur, aut cum totum complectimur, vbi de parte tantum dicitur, aut vbi signū in rem ipsam transformatur. ✝.

Monet igitur hic titulus, ne plus sit in conclusione quam in præmissis.

Dic exemplum à particulari ad universale?

Vinum est febricitanti malum,
Ergo est prorsus malum.

Dic

Dic Exemplum à parte ad totum?

Æthiops est albus dentibus,
Igitur Æthiops est albus.

Dic exemplum à signo ad signatum?

Hector est pictus,
Ergo est homo,
Hæc statua est signum Dei,
Ergo est numen aliquod.

(Nego consequentiam, quia signum non est à re significata.)

SECVNDVM NON CAVSsam vt caussam.

Quid est fallacia secundum non caussam vt caussam?

Est titulus captionum, cum prætextu alicujus caussæ, quæ tamen non est caussa, decipimur, vt:

Ebrietas est mala,
Igitur vinum est malum.

(Nego consequentiam quia vinum non est caussa immoderati usus, sed mala voluntas potantis.)

Aliud.

Multi Evangelici dissolutè vivunt,
Ergo doctrina est mala.

(Nego consequentiam quia vitia professorum non à doctrina, sed ab alijs caussis oriuntur.)

Aliud

Paulus jubet cavere, ne per Philosophiam decipiamur,

Ergo Philosophia est mala.

Nego consequentiam quia est fallacia secundum non causſam vt causam, nam bonæ rei potest esse multiplex abusus.

FALLACIA CONSEquentis.

Quid est fallacia consequentis?

Est titulus captionum, in quibus vitiosa est membrorum connexio, id est, quæ ab aliqua regula bonæ consequentiæ supra tradita discrepat, vt cum ex puris particularibus, aut ex puris negativis falsum ratiocinamur, aut alias regulas, supra traditas, violamus, vt:

Omnis stella lucet,

Cometa lucet,

Erga Cometa est stella.

Nego consequentiam, quia in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur,

Aliud.

Pallet,

Igitur studiosus est.

Nego consequentiam, quia ex signis non propriis non ducitur firmum argumentum.

Aliud.

Cuiuslibet contradictionis altera pars est falsa:

Hæc

Hæc propositio, cœlum movetur, est contradictionis altera pars.

Ergo hæc propositio, cœlum movetur, est falsa.

Responsio.

Nego consequentiam quæ non valet a particulari ad vniversale, vel, vt recentiores Dialectici loquuntur, a non distributo ad distributum, distributum vocantes dictum vniversale, quod in inferiora distribui ac spargi potest. Fit autem hic subsumptio sub hoc membro particulari proposito, loco prædicati, non sub iecti, altera pars, non sub vniversali, cuiuslibet contradictionis: debebat autem ita fieri subsumptio.

Cuiuslibet contradictionis altera pars est falsa, Hæc est contradictio, cœlum movetur.

Ergo in hac contradictione altera pars est falsa, videlicet, cœlum non movetur. Hoc modo solvuntur similes cavillationes.

SECVNDVM PLVRES interrogationes?

Quid est fallacia secundum plures interrogationes?

Est titulus captionum, cum in delectu materiarum aut ipsi erramus, aut astutè falsa eligimus ad decipiendos alios, vt cum adversarij clamitant doctrina Evangelij laxari disciplinam, interim dissimulantes, quam necessaria sit vera DEI agnitio & invocatio,

Monet hæc fallacia, vt cum verè docere alios volumus, quæramus pròpria negotiorum fundamenta, vt dicamus de re propoſita, πρὸς ἕπ&, vt ſæpè in Dialecticis præcipitur, nam ſæpe decidit, vt vni propoſitioni quærantur diverſa fundamenta quorum alia vera ſunt, alia falſa, aut alia alijs rectiora & firmiora.

PETITIO PRINCIPII.

Quid eſt petitio principii?

Eſt, cum velle incerta ea quæ pariter incerta ſunt, confirmare velle videmur, vel cum idem ſubinde repetitur ijsdem verbis, aut paululum mutatis, quæ vocatur.

Dic exemplum prioris?

Non errant, qui à mortuis auxilia petunt, quia magna multitudo id fecit longo tempore.

Nego conſequentiam, quia eſt petitio principij, nam hoc quæritur, an recte fecerit illa multitudo.

Dic exemplum poſterioris?

Clodius fecit inſidias Miloni,
Ergo eſt ei inſidiatus.

IGNORATIO ELENCHI.

Quid eſt ignoratio Elenchi?

Eſt titulus captionum, in quibus aliquid deeſt argumento, quo minus convincat auditorem.

Eſtq;

(Eſtq; hic titulus velut commune domicilium omnium cavillationum.)

Da exemplum huius fallacię?

Cœlum tegit omnia,
Ergo ſe quoq; tegit: ☩.

(Nego conſequentiam, quia vniverſalis reſtringenda eſt vt cœlum tegit omnia, præterquam ſe.)

ALIVD,

Plato ſcribit domi, & non ſcribit foris,
Ergo Plato ſcribit & non ſcribit.

Nego conſequentiam, quia in contradictione extrema intelliguntur reſpectu eiuſdem.)

DE QVINQVE MODIS primæ figuræ ſyllogismorum indirectim concludentibus.

Qui dicuntur modi indirectim concludentes?

Quorum concluſio non eſt tam concinna & naturalis, quam eſt modorum quatuor primæ figuræ Barbara, Celarent, Darij, Ferio, in quibus prædicatum maioris dicitur de ſubiecto minoris directim in concluſione. In modis autem indirectim concludentibus minor terminus prædicatur de majore in concluſione.

Quod sunt modi indirectim concludentes primæ figuræ syllogismorum?

Quinq;, Qui?

Baralypton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesmorum.

Quid est modus Baralypton?

Est in quo datis tribus terminis, ex vniversalibus præmissis affirmativis, particularis affirmativa indirectim concluditur seu inducitur, vt:

Ba Omne animal est substantia,
rali Omnis homo est animal,
ptou. Ergo quædam substantia est homo.

(Hic in conclusione minor terminus, homo, prædicatur indirectim de majori, substantia, particulariter.

Ad quem modum directum hic modus reducitur?

Ad Barbara: Quomodo?

Conclusione illius per accidens conversa, ita videlicet, vt ex prædicato fiat subjectum, & ex subiecto prædicatum manente eadem qualitate, sed mutato signo particulari, in vniversale, hoc modo:

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia.

Hæc conclusio versa est per accidens ex hac: Quædam substantia est homo, quia homo ponitur loco subiecti, & substantia loco prædicati, mutato parti

particulari signo, quædam, in signum universale, omnis.

Quis est modus indirectus Celantes?

Est, in quo, datis tribus terminis, ex universali affirmativa maiore, & universali affirmativa minore, universalis negativa indirectim concluditur, hoc modo:

Ce Nullum animal est lapis.
lan Omnis homo est animal,
tes Ergo nullus lapis est homo

(Hic in conclusine, minor terminus, homo prædicatur de majore lapis, negative universaliter.)

Ad quem modum directum reducitur?

Ad Celarent, conclusione conversa simpliciter. Hoc est, converso prædicato in subjectum, & subjecto in prædicatum, manentibus ijsdem signis & qualitate, hoc modo:

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent Ergo nullus homo est lapis.

(Hic maior terminus in conclusione prædicatur de minore homo, negative universaliter.

Quis est modus tertius Dabitis?

Est, in quo datis tribus terminis, ex vniversali affirmativa maiore & particulari affirmativa minore

nore, conclusio affirmativa particularis inducitur, hoc modo:

Da Omne animal est substantia,
bi Quidam homo est animal,
tis Ergo quædam substantia est homo.

(Hic minor terminus, homo prædicatur de majori substantia, affirmative, particulariter.)

Ad quem modum directum reducitur?

Ad Darij, conclusione conversa simpliciter, id est mutato prædicato in subiectum, & subjecto in prædicatum, manentibus ijsdem signis & eadem qualitate hoc modo:

Da Omne animal est substantia,
ri Quidam homo est animal,
i Ergo quidam homo est substantia.

Quis est modus quartus indirectus Fapesimo?

Est, in quo datis tribus terminis, ex universali affirmativa maiore & universali affirmativa minore, conclusio particularis negativa inducitur, indirectim, hoc modo:

Fap Omne animal est substantia,
se Nullus lapis est animal,
mo Ergo quædam substantia non est animal.

(Hic minor terminus, lapis prædicatur de majore substantia, indirectim, particulariter, negative.)

Ad

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad quartum Ferio.

Quomodo?

Maiore per accidens, & minore simpliciter conversa, & præmissis transpositis, manente eadem quantitate, & qualitate, hoc modo:

Nullum animal est lapis,
Quædam substantia est animal,
Ergo quædam substantia non est lapis.

Per accidens ita, vt ex prædicato fiat subjectum & ex subiecto prædicatum, mutato signo vniversali in particulare.

Quis est modus quintus indirectus Frisesomorum?

Est, in quo, datis tribus terminis, ex particulari affirmativa maiore, & universali negativa minore, particularis negativa indirectim inducitur, hoc modo:

Fris Quidam lapis est substantia,
es Nullum animal est lapis,
mo Ergo quædam substantia non est animal.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Ferio.

Quomodo?

Vtraq; præmissa conversa simpliciter & transposita, hoc modo.

Fe: Nul-

Fe Nullus lapis est animal,
ri Quædam substantia est lapis,
o Ergo quædam substantia non est animal,

Transpositis præmissis, ita, vt maior præmissa ponatur loco minoris, & minor loco maioris, vt in dicto exemplo patet. Simpliciter, hoc est, posito prædicato loco subiecti, & subiecto loco prædicati, manentibus ijsdem signis, Et transposita, vt ex minore fiat maior, & contra ex maiore fiat maior.

De Ratione Reducendi syllogismos modorum secundæ figuræ, ad primam figuram euidentiæ caussa.

Quid est reductio syllogismorum?

Est, qua Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, reducuntur ad Syllogismos primæ figuræ vel illustrandæ rei, vel confirmandæ caussa.

Quotuplex est reductio?

Duplex. *Quomodo?*

Ostensiua & per impossibile.

Quid est reductio ostensiua?

Est, qua modi secundæ & tertiæ figuræ, præter Baroco & Bocardo, reducuntur ad modos primæ figuræ rei illustrandæ caussa.

Quid est reductio per impossibile?

Est, qua sumitur contradictio conclusionis & ex ea fit minor aut maior propositio, & infertur contra-

contradictio minoris, rei confirmandæ gratia, fitq; tantum in Baroco & Bocardo.

Dic versiculum de ratione reducendi Syllogismos?

S *vult simpliciter verti,* P. *verò per acci.*
M *Vult transponi,* C, *per impossibile duci.*

OBSERVATIO.

Modi secundæ & tertiæ figuræ reducuntur ad eos modos primæ figuræ, qui ab eadē litera incipiunt

Qui modi secundæ figuræ, ad quos modos primæ reducuntur?

Cesare			*Celarent*
Camestres	*reducitur*		*Celarent*
Festino	*ad*		*Ferio*
Baroco			*Barbara*

In secunda figura subiectum maioris prædicatur de subiecto minoris, in conclusione. vt in sequenti syllogismo lapis de homine.

Da syllogismum secundæ figuræ in Cæsare.

Ces *Nullus lapis est animal,*
a *Omnis homo est animal,*
re *Ergo nullus homo est lapis.*

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Celarent, maiore conversa simpliciter, hoc modo:

Ce. Nul-

Ce Nullum animal est lapis.
la Omnis homo est animal,
rent. Ergo nullus homo est lapis.

Dic syllogismum in Camestres?

Cam Omnis homo est animal,
es Nullus lapis est animal,
tres Ergo nullus lapis est homo.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Celarent, minore conversa simpliciter, & præmissis transpositis, hoc modo:

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent Ergo nullus homo est lapis.

Da Syllogismum in Festino?

Fes Nullus lapis est animal,
ti Quidam homo est animal,
no Ergo quidam homo non est lapis.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Ferio, maiore conversa simpliciter, vt:

Fe Nullum animal est lapis
ri Quidam homo est animal,
o Ergo quidam homo non est lapis.

Dic syllogismum in Baroco:

Ba-

Ba Omnis homo est animal,
ro Quidam lapis non est animal,
co Ergo quidam lapis non est homo.

Ad quem modum 1. figuræ reducitur?

Ad Barbara Syllogismo ducente ad impossibile.

Quid est Syllogismum duci ad impossibile?

Est quoties contradictio ponitur conclusionis, & assumitur altera sumptarum propositionum nota, pariter & concessa, ex quibus deinde, nempe posita & assumpta, colligitur Syllogismus, alteram ab assumpta, concludens: quæ, quia manifeste falsa deprehenditur (quippe contradictoria vera per hypothesin extabat, unà cum assumpta) per eam alterutra perimenda venit præmissarum, ut exempli gratia, sit factus Syllogismus in prima figura in Barbara:

Bar Omne animal est substantia,
ba Omnis homo est animal,
ra Ergo omnis homo est substantia.

Huius syllogismi, si conclusio ipsa vel dubitetur vel negetur prorsus, tunc si contexo syllogismum ad impossibile ducentem:

Quidam homo non est substantia,
Omnis homo autem est animal,
Igitur quoddam animal est substantia.

Quia autem hæc conclusio falsa est, sequitur alteram præmissarum falsam quoq; esse (quia ex falso fal-

falsum sequitur) non minorem quidem, quoniam & ipsa in altero Syllogismo vera est ex hypothesi concessa: Ergo maiorem necesse est esse falsam, quare eius contradictoria, quæ erat: Omnis homo est substantia, vera est: Et hæc nimirum conclusio prioris Syllogismi erat, quod erat, propositum, Ex hypothesi, hoc est, ex subiectione speciei sub genere, quia species supponitur seu subijcitur generi, tanquam inferius superiori, & quod dicitur de genere, etiam de specie dici potest. Quia igitur animal est substantia. Ergo etiam homo est substantia, quia homo est species animalis.

De ratione reducendi Syllogismos tertiæ figuræ ad syllogismos primæ figuræ.

Da syllogismum in primo modo tertiæ figuræ Darapti.

Da Omnis homo est substantia,
rap Omnis homo est animal,
ti Ergo quoddam animal est substantia.

In tertia figura prædicatum maioris dicitur de prædicato minoris in conclusione, vt hic substantia de animali.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Darij, minore per accidens conversa, ita, vt ex prædicato fiat subiectum, & ex subiecto prædicatum

catum, manente eadem qualitate, sed mutatis signis hoc est quantitate:

Da Omnis homo est substantia,
ri Quoddam animal est homo,
i Ergo quoddam animal est substantia.
Fe Null us homo est lapis,
lap Omnis homo est substantia,
ton Ergo quoddam substantia non est lapis.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Ferio, minore conuersa per accidens hoc modo:

Fe Nullus homo est lapis,
ri Quædam substantia est homo,
o Ergo quædam substantia non est lapis.

Dic Syllogismum in Disamis?

Dis Quidam homo est substantia,
am Omnis homo est animal,
is Ergo quoddam animal est substantia.

Ad quem modum primæ figuræ reducitur?

Ad Darij, maiore & conclusione conversis simpliciter, & præmissis transpositis, hoc modo:

Da Omnis homo est animal,
ri Quoddam substantia est homo,
i Ergo quoddam substantia est animal.

Dic exemplum in Datisi.

Da Omnis homo est substantia,
tis Quidam homo est animal,
i Ergo quoddam animal est substantia.

Ad quem modum reducitur?

Ad Darii, minore conversa simpliciter, hoc modo:

Da Omnis homo est substantia.
ri Quoddam animal est homo,
i Ergo quoddam animal est substantia.

Dic Syllogismum in Bocardo?

Bo Quidam homo est lapis,
car Omnis homo est animal,
do Ergo quoddam animal non est lapis.

Ad quem modum reducitur?

Ad Barbara, Syllogismo ducente ad impossibile, de quo supra dictum est.

Dic exemplum in Ferison.

Fe Nullus homo est lapis
ris Quidam homo est animal
on Ergo quoddam animal non est lapis.

Ad quem modum reducitur?

Ad Ferio, minore conversa simpliciter, hoc modo:

Fe Nullus homo est lapis,
ri Quoddam animal est homo.
o Ergo quoddam animal non est lapis.

REGV-

REGVLÆ SPECIALES de tribus figuris.

In prima figura, & tertia minor semper est affirmativa. In secunda figura maior est vniversalis. In secunda figura alterutra præmissarum est negativa. In tertia figura conclusio semper est particularis.

Regula Nicephori.

Commune omnibus Syllogismi modis est, vt conclusio sequatur deteriorem propositionem. Est autem deterior particularis vniversali, & abdicativa aiente, hoc est, negatio affirmatione.

DE RATIONE INVENIENDI medii termini in Syllogismo, regulæ & admonitiones.

In omni disputatione seu propositione confirmanda vel refutanda videndum est, quare prædicatum rectè ac verè dicatur de subiecto in conclusione Syllogismi. Hæc causa vocatur in compositione Syllogismorum, terminus medius, estq; fundamentum totius ratiocinationis. Cicero argumentum vocat, quod sit probabile inventum ad faciendam fidem dubiæ propositioni, Græci vocant μέσον, Latini medium. Vocatur & causa, quare subiectum & prædicatum rectè cohæreant in conclusione, & assumitur hæc causa extrinsecus, sed ita tamen, vt coniunctionem aliquam habeat cum vtroq; extremo, hoc est subiecto & prædicato conclusionis, Sicut in-

quit Quintilianus, Quicquid confirmandum est ex alio quo alto, quod aliqua ratione ipsi est cognatum & coniunctum fidem assequitur. Neq; ulla res per se ipsa probari & confutari potest, sed per aliud extrinsecus assumptum & adhibitum. Estq; hoc medium vel medius terminus argumentum & caussa quasi vinculum totius connectionis syllogisticæ, vtraq; extrema, quæ ἄκρα Aristoteles vocat, subiectum & prædicatum coniungens, vnde duæ propositiones, quæ præmissæ latinis, ἄκρα τῶν Græcis vocantur, fiunt, quia connexio seu coniunctio subiecti & prædicati in Syllogismis affirmativis & disiunctio in negativis, per medium terminum, duabus hisce regulis Geometricis demonstrari solet.

Prima, quæ duo uni tertio sunt æqualia, inter se sunt æqualia.

Secunda, quorum alterum tertio est inæquale, ipsa inter se sunt inæqualia.

ACCOMMODATIO HARVM regularum ad connexionem Syllogismorum, Prioris.

Sicut iam duo ligna, quæ vni tertio sunt æqualia, inter se quoq; sunt æqualia, ita quoq; duo extrema, hoc est, prædicatum & subiectum, sunt æqualia, hoc est de se mutuo prædicari possunt, & coniungi in conclusione, quæ vni tertio sunt æqualia, hoc est, quibus medius terminus tribuitur, seu convenit in præmissis.

Alterius.

Sicut duo ligna, quorum alterum vni tertio inæquale est, inter se quoq; inæqualia sunt, item duo extrema, hoc est, prædicatum & subiectum, inter se inæqualia sunt, hoc est, de se mutuo dici non possunt, seu prædicari in conclusione, quorum alterum tertio alicui termino inæquale est, hoc est, ei non convenit.

EXEMPLVM PRIORIS REGVlæ de syllogismis affirmativis.

Thema seu conclusio Syllogismi.

Magistratui est obediendum. Hic subiectum est, Magistratui, prædicatum, obediendum. Iam quæratur medius terminus, qui caussam contineat, cur obediendum est, rectè dicatur de Magistratu videlicet ordinatio diuina & addatur hic terminus seu hæc caussa primùm prædicato, loco subiecti, estq; maior syllogismi propositio, hoc modo:

Ordinationi diuinæ est obediendum,

Postea addatur hic terminus seu hæc caussa etiam subiecto thematis, videlicet magistratui loco prædicati, fitq; minor syllogismi, hoc modo:

Magistratus est diuina ordinatio, vnde iam sequitur rectè conclusio.

Ergo Magistratui est obediendum. In hoc syllogismo.

Da Ordinationi divinæ est obediendum,
ri Magistratus est ordinatio divina, Rom. 13.
i Ergo Magistratui est obediendum.

In qua conclusione, Magistratus, & obediendum, sunt duo quasi ligna de quibus dicitur, an sint per se æqualia, hoc est an obediendum, recte dicatur, de Magistratu.

EXEMPLVM POSTERIORIS regulæ negativum, Ioan 8.

Thema seu conclusio negativa?

Iudæi non sunt ex Deo, Hic subiectum est, Iudæi prædicatum, non sunt ex Deo. Iam quærendus est medius terminus seu causa, quæ cum altera parte thematis seu conclusione Syllogismi conveniat, cum altera repugnet, audire verbum Dei. Vnde sequitur, hæc duo membra, hoc est subiectum & prædicatum, non posse coniungi in themate seu conclusione, sicut duo ligna, quæ vni tertio sunt æqualia, inter se quoq; sunt inæqualia, hoc est, coniungi aptè non possunt, fitq; hinc talis Syllogismus.

Qui verbum Dei audit, est ex Deo.

Hic medius terminus seu causa audire verbum Dei apponetur ad prædicatum thematis, esse ex Deo.

Vos Iudæi non auditis. Hic medius terminus, audire verbum Dei, negatur seu tollitur à subiecto, Iudæi vnde sequitur negativa conclusio.

Ergo vos Iudæi, non estis ex Deo. In hoc syllogismo.

Ea qui

Ba Qui ex Deo sunt verbum Dei audiunt.
ro Vos Iudæi non auditis verbum Dei,
co Ergo ex Deo non estis.

Sed Christus argumentatur à causa ad effectum, ostendens, cur Iudæi non audiant verbum Dei. quia non sunt ex Deo, hoc est, non sunt renati per Spiritum Sanctum, sed deserti à Deo propter blasphemiam in filium DEI, & contemptum eius doctrinæ, hoc modo:

Ba Qui verbum Dei audit, est ex Deo.
ro Vos non estis ex Deo,
co Ergo verbum Dei non auditis.

Ita enim inquit Ioan. 8. Qui ex DEO est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

DE EXPEDITA ET FACILI ratione contexendi syllogismos.

Themate proposito, quod Syllogismi est conclusio, quæratur eius causa seu ratio, atq; ex ea fiat maior propositio, & postea in minore accommodetur hæc causa subiecto thematis, vel affirmativè, vel negativè vnde in legitima connexione terminorum infertur conclusio.

Thema.

Iudæi non audiunt verbum Dei.

Ratio seu causa.

Quia non sunt ex Deo.

Hinc fit Syllogismus, causa posita loco maioris, eaq; accommodata subiecto thematis, in minore, hoc modo:

Ba Qui audiunt verbum Dei, sunt ex Deo,
ro Iudæi non sunt ex Deo,
co Ergo Iudæi non audiunt verbum Dei.

Aliud Thema,

Fides iustificat.

Ratio.

Quia pacificat conscientiam. Hinc fit Syllogismus.

Da Quicquid pacificat conscientiam, iustificat,
ri Fides pacificat conscientiam,
i Ergo fides iustificat:

Aliud Thema.

Mahometistæ non honorant patrem.

Ratio.

Quia non honorant Filium.

Syllogismus.

Ba Honorans patrem, Honorat filium,
ro Mahomethistæ non honorant filium,
co Ergo non honorant Patrem.

Ita assuefaciant se pueri in lectione autorum ex propositione eiusq; ratione seu causa contexere Syllogismos, facientes ex causa maiorem præmissam, & in minore accommodantes terminum medium, ad subiectum minoris, vt Roman. 3. Non est distinctio Iudæi

Iudæi vel Græci. quantum ad iustificationem attinet, coram Deo.

Ratio seu causa.

Omnes enim peccauerunt. & destituuntur gloria Dei. Hinc talis Syllogismus contexatur.

Qui sunt peccatores, & destituentur gloria Dei nullam habent prærogatiuam coram DEO, quantum iustificationem attinet.

Iudæi & gentes pariter sunt peccatores, carentes gloria Dei.
Erga nulla est eorum destinctio aut prærogatiua coram Deo, sed iustificantur gratis omnes per illius gratiam, fide &c.

Erotematum Dialectices selectorum finis.

ELEMENTORVM RHETORICES Libri duo Philippi Melanchthonis, in breves interrogationes contracti, ediscendi caussa

LIBER PRIMVS. DE INVENTIONE.

Loci principales libri primi.
1. Definitio Rhetorices.
2. Genera caussarum quatuor.
3. Status.
4. Partes orationis sex.
5. Loci communes
6. Affectus.

Quid est Rhetorica?

RHETORICA est ars quæ docet viam ac rationem rectè ac ornatè dicendi. quæ facultas eloquentia vocatur.

Quod est officium seu finis Rhetorices?

Iudicare de longa oratione, qualis sit partium series, quæ sunt ornamenta, item efficere, vt oratio certas partes habeat, & res magnas non exponat breuiter. sed addat verborum lumen.

Quod

Quod est discrimen Dialecticæ & Rhetoricæ?

Dialectica res nudas proponit. Rhetorica vero addit elocutionem, quasi vestitum.

Quot sunt officia Oratoris?

Quinq;. Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio, ✝

Quid est inventio?

Est, vt Cicero finit, excogitatio rerum verarum aut verosimilium, quæ caussam probabilem reddunt.

Quid est dispositio?

Est, rerum inventarum in ordinem distributio.

Quid est elocutio?

Est idoneorum verborum & sententiarum ad inventionem accommodatio:

Quid est memoria?

Est firma animi, rerum ac verborum ad inventionem perceptio.

Quid est pronunciatio?

Est ex verborum & rerum dignitate, vocis & corporis moderatio.

Circa quid versatur inuentio & dispositio?

Circa res inveniendas & disponendas certo ordine.

Circa qutd versatur elocutio?

Circa

Circa verba. quibus res excogitatæ & ordine apud animum dispositæ significanter exponuntur. (Memoria parum admodum ab arte adiuuatur. Actio decens imitatione discenda est.)

GENERA CAVSARVM.

Quot sunt genera causarum?

Quatuor: Didascalicum sive didacticum, Iudiciale Deliberativum, Demonstrativum.

Quid est genus Didascalicum?

Est Methodus illa docendi, quæ traditur in Dialectica.

Quid est genus Iudiciale?

Est quod controversias forenses tractat.

Quid est genus Deliberativum?

Est, quod in suadendo & dissuadendo versatur.

Quid est genus Demonstrativum?

Est quo laus & vituperium continetur. ✣

Ad quid conducit nosse genus causæ?

Vt occurrant certi loci ad patefaciendam & tractandam materiam vtiles, & vt prospiciatur finis orationis hoc est, præcipua intentio, & summa consilii, seu (vt vocant) scopus orationis.

Ad

Ad quos fines omnis oratio instituitur?

Aut vt doceat aliquid aut vt præter cognitionem, aliquid fieri iubeat.

Quæ orationes iubent aliquid fieri?

Suasoriæ, vt si quis suadeat suscipiendum bellum Turcicum.

Quæ docent?

Demonstratiuæ, vt si quis laudes Alexandri enarret, & Didascalicæ, vt si quis doceat, quid sit Euangelium, quid fides.

(Est igitur finis generis deliberatiui actio, demonstratiui & didascalici cognitio.)

DE GENERE DIdascalico.

Quid est genus Didascalicon?

Est Methodus docendi seu explicandi quæstiones simplices & propositiones, quam Dialectica tradit Vtimur eo in docendo, sciscitando, interrogando, respondendo, differendo, exponendo siue interpretando, omnis generis scripta.

Quæ negocia seu causę pertinent ad genus Didascalicon?

Quæstiones quæcunq; de quibus docendi sunt homines.

Quotuplices sunt quæstiones huius generis?

Dupli-

Duplices, Simplices & coniunctæ.

Quid est quæstio simplex?

Est cum de vna voce quæritur, vt quid sit virtus, quid sit pœnitentia.

Quid est quæstio coniuncta?

Est integra propositio, quæ aut est confirmanda, aut confutanda, vt, oporteat ne Christianum abijcere facultates.

Quot sunt loci, quibus quæstio simplex tractatur?

Sex præcipui,

Quid sit.

Quæ sint partes seu species.

Quæ causæ.

Qui effectus.

Quæ cognatæ,

Quæ pugnantia,

Quæ est horum locorum vtilitas?

Vt, cum docere aliqua de re homines volumus, admoneant nos, vbi quærenda sit materia, aut certè quid ex magno aceruo eligendum sit, & quo ordine distribuendum.

Dic exemplum quæstionis simplicis?

Fides.

Quid significat vocabulum Fidei?

Inter

Interdum historiam de Christo. sed in Prophetis & Apostolis significat fiduciam, qua assentimur promissionibus Dei.

Quid est Fides?

Est assentiri promissioni Dei, in qua pollicetur, se nobis fore propitium propter Christum.

Quę sunt partes Fidei?

Nullæ possunt recenseri, quia fides, est vnus quidam motus mentis intuens promissiones. Complectitur tamen noticiam in intellectu, & voluntatem, quæ vult, & accipit oblatum beneficium.

Quæ sunt species fidei?

Fides versatur aliás circa promissiones rerum corporalium, aliás circa promissiones gratiæ & rerum æternarum.

Quæ est causa efficiens fidei?

Spiritus sanctus, & voluntas hominis assentiens seu non repugnans.

Quæ est causa instrumentalis?

Verbum promissionis per quod efficax est Spiritus Sanctus, impellens mentem seu voluntatem hominis.

Quod est subiectum fidei?

Mens hominis seu voluntas.

Quop est Obiectum?

Promissiones rerum corporalium & æternarum.

Quis

Quis est finis?

Vita æterna.

Qui sunt effectus fidei?

Iustificatio seu imputatio iustitiæ, tranquillitas & gaudium conscientiæ, dilectio, invocatio & eventus vita æterna.

Quæ sunt cognata?

Spes expectans futuram liberationem, & dilectio.

Quæ pugnantia?

Simulatio fidei, desperatio, & temeritas seu Præsumptio.

DE CONIVNCTIS quæstionibus.

Qui sunt loci thematis coniuncti?

Definitio, Causæ, Effectus, Partes, Pugnantia.

Da exemplum coniuncti thematis?

Discedere â facultatibus non est Christiana iustitia.

Proba â definitione?

Christiana iustitia est res æterna in spiritu, nosse ac timere Deum, credere in Deum.

Discedere á facultatibus non est res æterna, neque ad spiritualem vitam necessaria.

Igitur Christiana iustitia non est discedere á facultatibus.

Proba â causis

Euan-

Euangelium non abolet res politicas,

Tenere proprium est res necessaria in politia.

Igitur Euangelium non præcipit discedere à facultatibus.

(Nihil opus est per omnes locos vagari, neq; enim quæliber causa omnes locos recipit.)

DE STATIBVS.

Quid inprimis observandum est in quolibet negocio seu controversia?

Status.

Quid est status?

Est principalis quæstio seu propositio, quæ continet summam negocii, ad quem omnia argumenta referenda sunt, veluti ad principalem conclusionem.

Quid præterea observandum est?

Principalis Syllogismus, qui in qualibet controversia statum maxime munit.

Quomodo vocantur partes huius Syllogismi?

Conclusio vocatur status κεφάλαιον, ὑπόθεσις ὑποκείμενον, *Maior & minor vocantur* αἴτιον *è quibus altera, de qua dimicatio est, & qua confirmata, conclusio sit plana, dicitur* κρινόμενον, *probatio,* κρινομένη *appellatur,* σύνεχον, *quia totum Syllogismum connectit.*

Dic Syllogiſmum in quo maior eſt κρίνομενον.

Euangelium non abolet Politias,
Tenere proprium eſt res politica.
Igitur Euangelium non vetat tenere proprium.

Dic Syllogiſmum cuius minor eſt κρινόμενον.

Vim vi repellere licet.
Milo vim vi repulit.
Igitur Milo jure occidit Clodium.

DE GENERE IVDICIALI.

Quid eſt genus Iudiciale?

Eſt, quo controverſiæ & lites contimentur, cuius ſpecies ſunt, accuſatio, defenſio, expoſtulatio, expurgatio, exprobratio, graves querelæ: comminationes, invectivæ, deprecationes, & ſi quæ aliæ ſunt ſimiles.

Quot ſunt ſtatus generis Iudicialis?

Tres. Coniecturalis, Iudicialis, & legitimus Legalis.

DE STATV CONIEcturali?

Quid eſt ſtatus coniecturalis.

Eſt, cum de facto eſt controverſia, An Roſcius occiderit patrem.

Vnde

Vnde oritur?

Ex quæſtione an ſit.

Quid eſt ſtatus Iuridicialis?

Eſt cum de jure quæritur, vt Iure ne Cæſar interfectus ſit.

Vnde oritur?

Ex quæſtione quale ſit factum, rectè an ſecus.

Quid eſt legitimus ſtatus?

Eſt, cum quæritur quid ſit, vt: Quid ſit iuſticia Chriſtiana, fides an opera?

Vnde oritur?

Ex quæſtione quid ſit.

DE PARTIBVS ORATIOnis Rhetoricæ.

Quot ſunt partes orationis Rhetoricæ?

Sex, Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

DE EXORDIO.

Quid eſt Exordium?

Eſt initium orationis, quæ præparamus animos audientium ad reliquam orationem.

Eſt duplex, rectum quod apertis rationibus conſtat: & obliquum quod dicitur inſinuatio, & fit occultè ac per diſſimulationem.

Quot ſunt partes Exordij?

Tres: Benevolentia, Attentio, Docilitas,

Vnde captatur benevolentia?

A personis & rebus & quæ utrisq; coniuncta sunt.

Quomodo reddimus auditores attentos?


Cum significamus nos de magnis & utilibus rebus dicturos esse.

Quomodo reddimus dociles?

Cum summam negocij breviter ostendimus.

(*Ordimur interdum à tempore, à locis & alijs circumstantijs, Decet initijs etiam dubitatio, Admiratio ἀπροσδόκητον, votum & similes figuræ.*)

Tabula de exordio.



DE

DE NARRATIONE ET propositione.

Quid est Narratio?

Est facti expositio, quæ statim exordio subijcitur.

Quid est facti propositio?

Est, quæ summam rei continet, & sequi narrationem debet.

Quid Rhetores hic divisionem seu partitionem vocant?

Cum propositionem ita constituimus, vt simul moneamus, quæ delinquere velimus; aut enumeramus quam multæ partes nobis tractandæ sint.

(Interdum multæ propositiones ponuntur, sed vbi gradus per priores ad vnam quandã principalem faciendus est.)

DE CONFIRMATIONE.

Quid est Confirmatio?

Est difficillima pars oratory operis, quæ persuadere judici debet, vt propositioni assentiatur.

Vnde petitur confirmatio?

Ab Argumentorum locis, qui admonent dicentẽ, vnde sumendæ sint in quolibet genere causæ, seu potius, magno rerum cumulo proposito qui eligi debeat, quod ad propositum quadret.

DE LOCIS CONFIRMAtionis in statu conjecturali.

Quot sunt loci confirmationis in statu coniecturali?

Duo: Voluntas & Facultas.

Voluntas quot habet species?

Duas. Impulsionem & ratiocinationem.

Quid est impulsio?

Est, quæ affectus continet, vt Clodius oderat Milonem, Ergo cupiebat eum extinctum esse.

Quid est Ratiocinatio?

Est cum argumentum à spe commodi ducitur, vt Clodio proderat Milonis interitus, Ergo verisimile est, Clodium fecisse insidias.

Quid continet facultas?

Signa & Circumstantias.

Quid sunt signa?

Sunt facta aut notæ alicuius caussæ vel effectus factorum quæ communi sensu indicantur sine doctrina.

Quotuplicia sunt signa?

Duplicia. Antecedentia quæ quasi causa sunt facti. Et consequentia, quæ sunt quasi effectus rei, vt: fugit, expalluit, erubuit.

Quæ sunt circumstantiæ:

Tempus, locus, instrumenta, facultas, modus, apparatus, iuxta versiculum:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo quando.

DE

DE CONFVTATIONE.

Quid est Confutatio?

Est dissolutio argumentorum, quæ obijciuntur.

Quot sunt modi dissoluendi obiecta argumenta?

Tres.

Quis est primus modus?

Est reprehensio consequentiæ, cum peccatum in forma argumenti ostenditur.

Quis est secundus?

Distinctio qua ambigua explicantur.

Quis est tertius?

Inficiatio, qua negamus illa quæ obijciuntur, & exponimus rationes, quæ reddunt verisimilem inficiationem.

(postremis rationibus vtimur, cum peccatum seu virium est materia argumenti.)

Quot loci adduntur defensori peculiares?

Duo. Inversio scilicet & absolutio, propter contrariam signorum interpretationem.

Quid est Inversio?

Est, cum docemus signum vel caussam contra nos allatam, pro nobis facere, vt Si occidissem, non sepeliissem. Satius enim fuisset, statim relicto cadavere fugere Græcè ἀντιστροφον appellant.

Quid est Absolutio?

Est, cum interpretamur signum aut causſam aliter, quam adversarius, vt: sepelij, sed misericordia motus, cum obiter præteritem.

DE PERORATIONE.

Quid est peroratio?

Est conclusio orationis, in qua principalis propositio repetitur.

(Tunc enim vocatur propositio, cum ante confirmationem collocatur Conclusio vocatur, cum post confirmationem ponitur.

Quibus rebus constat Peroratio?

Duabus, scilicet repetitione propositionis, & potissimorum argumentorum & affectibus.

DE STATV IVRIdiciali.

Quid est status juridicialis?

Est, cum disputatur, utrum jure aliquid sit factum an secus, vt, jure ne C. Cæsar sit interfectus, justum ne sit fures jusspendere.

(*Fabius statum qualitatis, Græci* κατηγορολογι, *nos appellant.*)

Quas partes habet hic status?

Easdem quas superior, Exordium, Narrationem, Propositionem, Confirmationem, Confutationem & perorationem.

Quot

Quot ex his nova præcepta requirũt?

Confirmatio, & Confutatio.

Quot sunt loci confirmationis in statu Iuridiciali?

Septem, Natura, Lex, Consuetudo, Æquum, Bonum Iudicatum, pactum.

Dic thema his locis confirmandum.

Constantinus Imperator recte fecit, quod bellum Licinio intulit, defendorum Christianorum causſa, etiamsi cum Licinio fœdere, & affinitate coniunctus erat.

Proba à natura?

Ius naturale est, suscipere defensionem contra iniustam crudelitatem, præsertim si sit manifesta, seu vt vocant, notoria iniuria. Talem suscepit defensionem Constantinus, ergò recte fecit.

A lege scripta?

Leges divinæ & humanæ præcipiunt regibus & omnibus Magistratibus, ut defendant innocentes, & maxime eos, qui propter Religionem affliguntur.

Ab exemplis?

Honestum fuit Athenienſibus suscipere defensionem liberorum Herculis, adversus Eurysthea: quanto honestius est imperatori suscipere defensionem sacerdotum.

Quot loci adduntur defensori peculiares in hoc statu?

Tres, Pugnatio, Translatio criminis, & deprecatio.

(Hi loci communi nomine confessionis continentur, quam vocant, cum res non excusat crimen, sed studet mitigare, & petit sibi veniam dari.

Quid est Purgatio?

Est, qua aliqua parte levatur culpa, videlicet, cum negamus dolo esse factum, vt, Feci errore, Feci iracundia, non feci animo lædendi.

Quid est translatio criminis?

Est, qua culpam conferimus in alios, vt, Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia. Feci, sed iussus ab alio.

Quid est deprecatio?

Est, cum non defendimus factum, sed petimus misericordiam, quam commovent rei ætas, dignitas, vita modestè acta.

(Sumuntur & argumenta à persona iudicis.)

Quot habet partes in hoc statu peroratio?

Easdem quas habet in superiori statu, Repetitionem propositionis & argumentorum quorundam, et idoneos affectus.

DE STATIBVS Legalibus.

Quot sunt status legales?

Sex. *Definitio, Contrariæ leges, Scriptum & Sententia, Ambiguum, Ratiocinatio, Translatio.*

STATVS DEFINITIVVS

Quid est Definitio?

Est, cum aut de vocabuli significatione contenditur: aut quid res sit declarandum est.

Vnde ducuntur confirmationes & confutationes huius status?

Ex locis Dialecticis, Genere, Differentia, Causis, Effectibus, Partibus, & autoritate seu testimonijs.

Dic Exemplum?

In Epistola ad Romanos dicitur, quæ res sit iustitia, & definit Paulus esse fiduciam misericordiæ propter Christum promissæ.

Quibus argumentis confirmat hanc definitionem?

Primo ab autoritate.

Credidit Abraham, & imputatum est ei ad iustitiam, Ergo fide consequimur, & reputemur iusti. Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Ergo cum omnes oporteat accipere remissionem peccatorum, qui fiunt beati, necesse est fateri, quod habeant peccata. Non ergo sunt iusti propria dignitate, sed fide in Christum, neq; enim satisfaciunt legi.

Secundo à causa.

Promissionem gratiæ oporteat esse certam, Promisso fieret incerta, penderet ex conditione legis.

Ergò

Ergo promissio non pendet ex conditione legis.

Sed gratis propter Christum fide contingit.

Tertio ab effectu.

Iustitia est Deo non irasci,

Lex facit ut Deo irascamur, quia semper accusat.

Ergo lex non justificat, sed fides.

(Exordia & perorationes in hoc statu sequuntur communia præcepta supra tradita.)

DE STATV CONTRAriarum legum.

Quis est status contrariarum Legum?

Est cum faciunt controversiam contrariæ leges seu sententiæ, quas Græci vocant ἀντινομίας.

(Quales sunt: Melius est nubere quam uri. Et Canon. Non licet sacerdotibus vxores ducere. Item, Non facies furtum. Et mandatum, vt Hebræi spoliarent Aegyptios.

Vnde ducuntur confirmationes & refutationes in hoc statu?

A causis efficientibus, lex enim habet autoritatem à causa efficiente.

Dic regulas de dissolvendis contrariis legibus?

1. *Lex inferior cedit superiori.*
2. *Lex specialis derogat generali.*

3. Lex

3. *Lex humana cedit divinæ.*
4. *Leges veteres corrigantur aut abrogantur novis.*

Dic Exemplum?

Lex generalis & inferior: Non facies furtum, cedit speciali ac superiori, scilicet primo mandato, quod Deus novo mandato jussit spoliare Ægyptios, Abraham immolaturus filium, solutus est à lege homicidij, per novum mandatum Dei jubentis immolare Isaac. Iehu capiens arma adversus suum regem, solutus est legibus secundæ tabulæ per primam: Deus enim novo mandato iusserat Iehu arma capere.

Ducuntur etiam confirmationes & confutationes ex materia, hoc est, ex ipsis legibus si cum ratione consentiant, aut pugnent cum ratione, si circumstantiæ expendantur, quibus latæ sint, & an ad hos casus rectè detorqueantur. Vt consuetudo recipit in templis imagines, lex prohibet. Hæc controversia dirimitur quia nos non tenemur lege Moysi.

DE STATV EX SCRIPTO & sententia.

Quid est status ex scripto & sententia?

Est, cum alter verbis ipsis, quæ scripta sunt, alter sententia scriptoris nititur: cum videtur scriptoris voluntas à scriptis discedere, quod fit propter scripti

scripti obscuritatem aut ambiguitatem. Græci ſtatum ἐντὸς ὑλῆς διανοίας appellant.

Vnde ſumendi loci huius ſtatus?

Ex Dialectica, Definitio, quæ patefacit obſcura Diviſio, quæ diſcernit ambigua.

(Ad hos locos accedũt reliqui, vt loci cauſarũ & effectuum, circumſtantiarum, pugnantiũ. In Eccleſiaſticis negociis confirmationes ducuntur ex teſtimoniis ſcripturæ clarioribus, ex quibus quod efficitur bona conſequentia, id quoq; clarum eſſe judicatur.)

Quando retinendum eſt, ἐντὸς ſeu ſcriptũ in præceptis ſeu dogmatibus ſacris?

Cum abſurditas tantum in judicium rationis impingit.

Quando inquirenda eſt ſcriptoris voluntas?

Cum ſcriptum ſeu ἐντὸς aut eſt obſcurum, aut abſurdum, ingens in aliquem articulum fidei, ſeu manifeſtum Scripturæ locum, vt in hoc dicto Chriſti, Si oculus tuus dexter ſcandalizaverit te eruas eum, Oculus figuratè ſignificat conſilium malum, Manus ſocios malos.

DE

DE AMBIGVO.

Quid eſt ſtatus ambigui?

Eſt, cum verbum aliquod ambiguum, aut generale parit diſſenſionem, vt in Canone: Sacerdos ducens vxorem, ſuſpendatur.

(Vbi intelligunt quidam vt ab arbore ſuſpendatur, alii mitius interpretantur, ſuſpẽdi tantum eſſe feriari, ab officio ad tempus.)

Vnde judicantur ambigua?

Alia ex Grammatica ſeu phraſi & figuris, vt non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, hoc eſt nequaquam cognovit eam. alia ex artibus, ex quibus ſumuntur, vt non reddas malum pro malo, generalis ſententia eſt, quæ ex Scriptura ſacra judicatur, prohiberi tantum vindictam privatam non publicam.

RATIOCINATIO.

Quid eſt ſtatus Ratiocinationis?

Eſt, cum caſus, qui non habent certam legem, referuntur ad ſimilia, aut ad cognata, quibus videntur connecti poſſe, vt: non licet hæredibus pecuniam civitati ad ſpectacula legatam, repetere. Igitur nec legatum ad pios vſus, repetere licet.

Vnde ſumuntur Ratiocinationes?

Ex

Ex locis dialecticis, cum ex causſa, ex toto, ex genere ducitur argumentum, aut ex locis communibus, qui plurimum in hoc ſtatu valent.

Quid præſtandum eſt in hoc ſtatu?

Vt in Syllogiſmo ſit bona conſequentia, hoc eſt, membra conſentiant, & aliud ex alio recte ſequatur.

TRANSLATIO.

Quid eſt ſtatus translationis?

Eſt, cum non reſpondetur ad rem, ſed opponitur exceptio aliqua, vt coram hoc iudice cauſſa agi non poteſt.

(Iuriſconſulti exceptionem vocant.)

Tabula

Tabula generis iudicialis?

Generis iudicialis ſtatus ſunt tres:

- 1. Coniecturalis, an ſit, in quo confirmatio ſumitur à
  - Voluntate, cuius loci ſunt
    - impulſio affectus ira, odium, avaritia, Ratiocinatio, quæ à ſpe cõmodorum ducitur:
  - Facultate quæ cõſtat circũſtãtiis Signis
    - loco, tempore, viribus, ſignis, Antecedentibus, Conſequentibus.
      - loci accuſatoris et defenſoris communes
- Loci defenſori proprij
  - Inverſio,
  - Abſolutio.
- 2. Iuridicialis, in quo confirmationis loci ſunt
  - Natura,
  - Lex.
  - Conſuetudo,
  - Æquum,
  - Bonum,
  - Iudicatum,
  - Pactum,
- Loci defenſori propij criminis
  - Purgatio,
  - Translatio,
  - Deprecatio.
- 3. Legalis ſeu legitimus, cuius loci ſunt ſex.
  - Definitio, Ambiguum
  - Contrariæ leges, ratiocinatio, Translatio,
  - ſcriptũ & ſententia.

DE GENERE DELIberatiuo seu suasorio.

Quid est genus Deliberativum?

Est, quod versatur in suadendo ac dissuadendo, adhortando & dehortando petendo & precando consolando & similibus negocys, ubi finis est non cognitio, sed præter cognitionem actio aliqua.

Quot sunt orationis partes in hoc genere?

Vtimur ijsdem partibus, quibus in causis judicialibus. ℣.

(Pertinent ad suasorium genus & in sacris literis adhortationes, consolationes, deprecationes. Adhortationes jubent aliquid agere. Consolationes jubent expectare auxilium à Deo. Deprecationes jubent aliquid nobis concedi. Exordia fiunt, ut in alijs causis. Vtimur narratione tantum, cum res poscit. Narrationem sequitur propositio, qua interdum sola vtimur, cum deest narratio. Neq; enim omitti propositio vlla in causis potest.)

Qui sunt loci confirmationis in hoc genere?

	Honestum		*Inhonestum*
In suadendo	*Vtile*	*In dissuadendo*	*Inutile*
	Facile		*Difficile.*

In quibus comprehenditur, etiam necessarium & possibile. Honestum est, quod propter se expetitur. Vtile, quod

le, quod expetitur vsus gratia. Facile pertinet ad materiam.

Vnde sumitur honestas?

Ex legibus divinis & humanis, & ex virtutum definitionibus, quæ ad causam efficientem pertinent, & hominum voluntates ad agendum movent.

Vnde sumitur vtilitas & facultas?

Vtilitas sæpe cernitur, ab indoctis, quæ cum manifesta est exaggeranda erit oratione: facultas posita est in comparatione virium, temporum & locorum.

Quot sunt partes perorationis in hoc genere?

Duæ, sicut in alijs generibus, videlicet, repetitio propositionis & quorundam argumentorum, & affectus, ℣. qui cum in tota Oratione variè spargendi sunt, tum in peroratione eligi debent, qui sunt acerrimi, nec procul petiti.

Tabula generis Deliberativi.

Partes sũt,
- Exordium, Narratio, quæ raro est.
- Propositio,
- Confirmatio quæ sumitur in
  - suadendo ab
    - Honesto
    - Vtili
    - Facili.
  - Dissuadendo ab
    - Inhonesto
    - Inutili
    - Difficili.

Magnam vim habent in hoc genere exempla, & in suadendo & dissuadendo.

DE GENERE DEMONstrativo.

Quid est genus demonstrativum?

Est, quod laudationem & vituperium continet?

Quotuplex est genus demonstrativum?

Triplex; aut enim personæ laudantur, vt Cæsar: Aut facta, vt factum Cæsaris, quod Marcellum restituit: Aut res, vt fortitudo, Philosophia, medicina, pax, eloquentia.

DE LAVDE PERSOnarum.

Quibus partibus orationis vtimur in laudibus Personarum?

Exordio, Narratione, Peroratione,

Quæ

Quid est ratio exordij?

Eadem quæ in superioribus generibus caussarum, nisi quod exordia in hoc genere liberiora sunt.

(Vt in Epithalamiis & Epicedijs apparet, quæ interdum à pompa publica, interdum ab effectu aliquo, à querela, vel gratulatione inchoantur.)

Quid est narratio in hoc genere.

Est perpetua quædam historiæ totius vitæ commemoratio, in qua seriem rerum dicendo sequimur, & præcipua decora sunt amplificanda, & ad admirationem proponenda.

Quot sunt loci, quibus in laude personarum vtimur?

Patria, Sexus, Natales, Ingenium, Educatio, Disciplina. Doctrina, Res gestæ, Præmium rerum gestarum, vitæ exitus, Opinio post mortem, ⁊.

(Vtimur interdum confirmatione & confutatione cum incidunt loci, qui habent aliquam disputationem.)

DE LAVDE FACTORVM ET RERVM.

Quibus partibus orationis vtimur in factorum ac rerum laudibus?

Exordio, Narratione, Propositione, Confirmatione, Conclusione. ⁊.

(Nam in hoc genere omnes partes existere possunt.

Vnde sumuntur loci, quibus factum aut rem laudamus?

Ex genere Deliberativo, Honestum, Vtile, Facile, Difficile.

Vnde sumitur honestas in laudandis rebus?

Ex causis efficientibus, videlicet ab inventoribus vt, Philosophia digna est cognitione, quia est donum Dei.

Vnde vtilitas?

Ex finibus, vt Philosophia ostendit præsidia vitæ, disciplinam de moribus civilibus, leges, medicina, mnumeros, mensuras, quæ res omnes in hac tota vita maximè necessaria sunt. ✝.

(Interdum facultas, interdum difficultas laudanda est, idq; ad consilium Oratoris pertinet, considerare quid deceat. Conclusio constat repetitione & affectibus.)

Tabula

Tabula generis demonstrativi?

- Demonstrativum genus est triplex, laudamus enim vel vituperamus, aut
  - Personas à
    - Patria
    - Sexu
    - Natalibus
    - Ingenio
    - Educatione
    - Disciplina
    - Doctrina
    - Rebus gestis
    - Præmio rerũ gestarum
    - Vitæ exitu
    - Opinione
    - post mortem
  - Facta ab
    - Honesto
    - Vtili
    - Facili
    - Difficili
    - Possibili
    - Impossibili.
    - Circumstantijs. quis quid vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.
    - Causis efficientibus autoribus scilicet.
  - Res à
    - Honesto
    - Vtili
    - Facili
    - Difficili.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

Quid sunt loci communes?

Non tantum sunt virtutes & vitia, sed in omni doctrinæ genere præcipua capita, quæ fontes & summam artis continent,

Quomodo rectè cognoscuntur loci communes?

Cum artes illæ, in quibus versatur, perfectè fuerint cognitæ.

Quis est usus locorum communium?

Vt ijs causſa proposita & probetur & amplificetur ✝.

(Etenim fere in omni probatione, maior nascitur ex àliquo loco communi.)

Quot modis usurpantur loci communes?

Duobus. Aut enim totam causſam continent, in quibus Thesis versatur: aut incidunt obiter, cum variè ad eos alluditur, vt Cicero pro Milone, cum dicit: Clodium Deo propter violatas Religiones pœnas dedisſe, alludit ad locum communem, & breviter probat, Deum esſe, & hunc mundum à Deo gubernari.

Quomodo vocant Rhetores, cum in causſa ad aliquem locū communem alluditur?

Transferre Thesin ad Hypothesin.

Quid

Quid est Thesis?

Est quæstio generalis quæ nullis circumstantijs conscripta est, vt: Liceatne Christiano bellum gerere: Sitne ducenda uxor.

Quid est Hypothesis?

Est negocium, de quo controversia est circumscriptum circumstantijs, vt: Sitnè bellum movendum adversus Turcam, Sitne Catoni jam seni vxor ducenda.

DE AFFECTIBVS.

Quid est affectus?

Est circumstantiæ emphasis, misericordiam aut iram movens, aut aliud hujusmodi. ✝

Oriuntur affectus ex locis expetendorum, aut fugiendorum. videlicet honesto, turpi, vtili, inutili. Nam honesta & utilia merentur amorem. Turpia, abhorrentia a natura, iniusta, damnosa oderunt homines. Misericordiam movet calamitas, seu fortuna indigna ætate, genere, virtute.)

Quotuplices sunt affectus?

Duplices. Nam alij sunt effectus leniores, qui vocantur ἤθη, qui blandis verbis efferuntur, qui significationem humanitatis atq; officij præbent. ✝

Quale est & hoc apud Ovidium:

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Alij sunt affectus vehementiores, qui dicuntur πάθη.

In his vtendum est atrocibus & Tragicis verbis vt in hoc Virgilij.)

Altaria ad ipsa trementem
Traxit. & in multo lapsantem sanguine nati.

Quid inprimis movet affectus?

Hypotyposes cum signa & gestus commemorantur, cumq; alicujus rei imago in oculos occurrit, quæ vim oculis atq; animo affert, vt apud Vergilium de Mezentio.

DE DISPOSITIONE.

Quid est Dispositio?

Est apta partium orationis & argumentorum collocatio.

Quotuplex est?

Duplex: Generalis & Specialis.

Quid est dispositio, generalis?

Est partium orationis ordo, vt primo dicatur Exordium, deinde Narratio, hanc sequatur Propositio, de qua est dimicatio, deinde Confirmatio, postea Confutatio. Extremus locus tribuatur perorationi.

Quid est dispositio Exordij?

In Exordys rarò Syllogismi, sed plerunq; constant Enthymematis. ✝.

(Quare initio ponitur aliqua sententia tanquã exordij propositio, cui postea subiicitur ratio. Deinde interdum sequitur aut alia propositio, aut amplificatio, aut adversativa.)

Quæ

Quæ est dispositio Narrationis?

In disponenda narratione, rerum seriem plerumq; sequimur, perinde atq; fit in historijs.

Quæ est dispositio confirmationis & confutationis?

Hæ partim Syllogismis, partim Enthymematis constant. Et plerunq; à minore inchoatur argumentatio raro à maiore, vt in oratione pro Cœlio:

Cœlius est studiosus,
Nullus autem studiosus est luxui deditus,
Ergò in Cœlio nulla reperitur luxuria.

Ad quid prodest observare hunc ordinem indicendo?

Ad melius intelligendas & jucundas eruditorum orationes, & ad inveniendum quid ipsi, & è quo loco aptè dicamus.

Quid est dispositio specialis?

Est, quæ singula argumenta suo disponit loco, quod vt recte fiat, magnæ est industriæ & vsus.

LIBER

LIBER II.

DE LOCVTIONE.



Quid est Elocutio?

EST, quæ dilucida & perspicua oratione res exponit & illustrat.

In quot rebus eloquendi ratio consistit?

Tribus.

Primo

Primò in sermone Grammatico.

Secundò in Figuris.

Tertio in amplificationibus.

(Crassus apud Ciceronem lib. 3. requirit in oratione quatuor partes, vt Latine, vt dilucide, vt ornate, vt apte dicatur.

Quid est sermo Grammaticus?

Est, qui constat verbis vsitatis, proprijs & significantibus, quæ iuxta Grammaticæ præcepta certa ratione coniungi & construi debent ad imitationem eorum, qui eleganter & veré Latinè & non molestè locuti sunt, quales sunt Terentius, Cicero, Cæsar, Livius, & quidam alij.

DE FIGVRIS.

Quid est Figura?

Est, quemadmodum Quintilianus definit, arte aliqua novata dicendi forma.

Quotuplex est figura?

Duplex Tropus & Schema.

DE TROPO.

Quid est Tropus?

Est, cum vox à propria significatione ad rem similem aut vicinam vertitur, vt Demosthenes inquit: Philippum magnitudine rerum gestarum ebrium esse.

(*Hic apparet non retineri propriam significationem ebrietatis.*)

Quotuplex est tropus?

Duplex

Duplex. Dictionis & Orationis.

Qui sunt Tropi dictionis?

Metaphora,	Antonomasia,
Metalepsis,	Onomatopœia,
Synechdoche,	Catachresis.
Metonymia,	Periphrasis.

Iure recensentur inter Tropos, Hyperbole & cõtraria extenuatio, sed de his infra de amplificationibus dicitur.

Quid est Metaphora?

Est, cum vox genuina & a propria significatione ad non propriam transfertur, vt ferreum pectus pro eo, quod flecti aut terreri non potest. Allatrare, pro convitiari. Teneo aut video, pro intelligo.

(*Latinè Translatio, Cicero brevem similitudinem vocat.*)

Quid est Metalepsis?

Est, cum non transfertur nomen à simili, vt, in Metaphora, sed sumitur à causa aut effectu, vt Pallida mors quia fecit pallere corpora. Vinum calidum, quia calefacit corpora. Latinè transsumptio.

Quid est Synechdoche?

Est, cum ex vno plura intelliguntur, aut è contra, Pœnus pro Pœni, Tectum pro domo.

Quot modis fit?

Sex:

Primò, cum totum parte comprehendimus, vt: cum animam dicimus, pro animante seu homine.

Secundo

Secundo, cum pro parte totum dicimus, vt exercitus cæsus, pro plurimi interfecti sunt.

Tertiò, cum continens pro contento sumitur, vt Epotos cados, pro vino epoto, apud Ciceronem.

Quartò, cum materia ponitur pro forma, seu re confecta, vt ferrum pro gladio.

Quintò, cum species ponitur, pro genere, vt Pontus pro quolibet mari.

Sextò, cum ex præcedentibus intelliguntur sequentia, vt vixerunt, pro mortui sunt, concutere muros, pro oppugnare.

Quid est Metonymia?

Est, cum vicinum nomen pro vicino ponitur, vt signum pro signato, sceptra pro regno, fasces pro imperio, claves pro officio vel potestate, toga pro pace, agnus pro victima. Item cum inventorum seu autorũ nomina sumuntur pro rebus, vt Bacchus pro vino, Ceres pro frugibus, Mars pro bello, Moyses pro lege, Christus pro Evangelio.

(Latine Transnominatio)

Quid est Antinomasia?

Est, cum definitionem aut Etymologiam aut descriptionem pro aliquo nomine ponimus, vt pro Homero Poëtam: pro Aristotele Philosophum, pro Christo Salvatorem, pro iracundiam effervescentem.

(Latine nominis permutatio.)

Quid est Catachresis?

Est nominis abusus, ut cum parricidam dicimus.

pro

Pro eo qui propinquum occidit. Item, cum pro virtutibus vicina vitia aut contra dicimus, vt pro crudelitate severitatem: parsimoniam pro avaritia.

(Latine abusio.)

Quid est Onomatopœia?

Est nova fictio nominis, vt Bombarda Tarataratara, pro cantu tubæ,

Quid est Periphrasis?

Est circuitio nominis, vt studiosus sapientiæ, pro Philosopho: ars benè dicendi, pro Rhetorica: qui cubito se emungit, pro salsamento.

Qui sunt Tropi orationis?

Allegoria & eius species.

Quid est Allegoria?

Est perpetua metaphora, non in uno verbo, sed in sententia, cum aliqua res significatur similitudine quadam, vt jugulum petere, pro eo quod est caussæ caput aggredi.

Quot sunt species Allegoriæ?

Ænigma, Paræmia, Ironia, Sarcasmus.

Quid est Aenigma?

Est obscura quædam Allegoria, vt Hesiodus: πλέον ἥμισυ παντὸς.

Quid est Paræmia?

Est celebre dictum aliqua nouitate insigne, vt catulæ dominas imitantur, hoc est familia abit in mores dominæ

Quid est Ironia?

Est dissimilitudo quædam, cum id, quod reipsa detrahimus, prolixè concedimus in specien, vt Cicero: Verres homo sanctus & diligens. Terentius: Ehodum bone vir quid agis?

Quid est Sarcasmus?

Est, cum hostis calamitatem exprobat hosti, vt:

En agros, & quam bello Troiana peristi,
Hesperiam metire iacens.

(Talia sunt: Ave Rex Iudæorum, Si filius Dei es, descende de cruce. Vicina est Ironiæ: μίμησις cum alterius gestum repræsentamus. aut recitamus verba. Talia sunt apud Paulum in Coloss. Ne attingite, ne gustate, ne contrectate,

DE SCHEMATIBVS.

Quid est Schema?

Est, quasi gestus orationis, in quo non necesse est vocis significationem mutari, vt cum dicit Poëta:

Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen,
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

(Hic vbiq; retinetur propria verborum significatio, & cum res sine repetitione dici potuisset, tamen plus gratiæ habet oratio propter repetitionem.)

FIGVRARVM ORDINES.

Quot sunt ordines figurarum?

Tres.

Quis est primus ordo?

Est earum, quæ ad Grammaticos pertinent &

agunt de ſtruverborum, aut de emphaſi ac luce vocabuli.

(Et huc pertinent etiam Tropi.)

Quis eſt ſecundus ordo?

Eſt earum, quæ proprie non ad verba, ſed ad mentem ſeu ſententiam pertinent, & motum orationi addunt, vt interrogatio, admiratio, dubitatio, quærela, &c.

Quis eſt tertius ordo?

Eſt earum, quæ conueniunt rationem amplificandi, hoc eſt figuras, quæ orationem longiorem atq; ampliorem faciunt. vt expolitio, diſtributio, congeries.

PRIMVS ORDO Figurarum

Quotuplices ſunt figuræ 1. ordinis?

Duplices. Grammaticæ & Rhetoricæ.

FIGVRÆ GRAMMAticæ

Quotuplices ſunt figuræ Grammaticæ?

Duplices, Dictionis & Orationis.

DICTIONIS.

Quot ſunt figuræ Dictionis?

Quatuordecim.

1. Proſtheſis,
2. Epentheſis.
3. Proparalepſis
4. Aphæreſis.
5. Syncope.
6. Apocope.
7. Ectaſis
8. Syſtole.
9. Diæreſis.
10. Epiſynalephe.
11. Synalephe.
12. Eclipſis.
13. Antitheſis.
14. Metatheſis.

Quid eſt Proſtheſis?

Appoſitio ad principium ſcilicet dictionis: vel literæ vel ſyllabæ, vt: gnatus pro natus, tetuli pro tuli

Quid eſt Epentheſis?

Eſt interpoſitio, cum inter primam & vltimam dictionis ſyllabam adijcitur vel litera, vt religio pro religio, vel ſyllaba. vt Induperator pro Imperator.

Quid eſt Proparalepſis?

Dum ad finem quippiam accedit, vt dicier pro dici, Latinè præſumptio.

Quid eſt Aphæreſis?

Ablatio à principio dictionis vel literæ, vt ruit, pro erut: vel ſyllabæ, vt temnere pro contemnere.

Quid eſt Syncope?

Conciſio, quoties è dictionis medio aliquid excidit, vt dixti pro dixiſti, acceſtis pro acceſſiſtis.

Quid eſt Apocope?

Abſciſio dictionis in fine vel literæ, vt Achilli pro Achillu, vel ſyllabæ, vt δῶ pro δῶμα apud Homerum.

Quid eſt Ectaſis?

Extenſio ſyllabæ naturæ contractæ, vt exercet Diana choros.

Quid est Systole?

Contractio syllabæ natura protensæ, vt Idolum media brevi apud Prudentium.

Quid est Diæresis?

Divisio vnius syllabæ in duas, vt aulai, pro aulæ, Æneidos tertio.

Quid est Episynalephe?

Conglutinatio duarum syllabarum in vnam, vt, aeripidem, pro aripidem, apud Virgilium.

Quid est Synalephe?

Deletio, cum videlicet duabus vocalibus concurrentibus, prior quasi deletur, vt Cartag' Italiam, pro Carthago Italiam, Æneid. 1.

Quid est Eclypsis?

Elisio quædam vocalium cum consonantibus asperé concurrentibus, mult'ill' & terris iactatus & alto.

Quid est Antithesis?

Cum litera pro litera ponitur, vt: Olli, pro illi:

(Alio nomine Antistœchon.)

Quid est Metathesis?

Transpositio quædam literarum, vt Tymbre dixit Poëta pro Tymber, Æneid. 10.

FIGVRAE CONSTRVctionis.

Quot sunt figuræ constructionis?

Novem. *Quæ?*

Appositio.
Zeugma,
Syllepsis,
Prolepsis.
Synechdoche,
Synthesis,
Antiptosis,
Euocatio,
Enallage,

Harum figurarum definitiones & exempla ex Syntaxi repetenda sunt.

FIGVRAE RHETORIcæ primi ordinis.

Quæ sunt figuræ Rhetoricæ 1. ordinis?

Sunt, quæ, vt supra dictum est, agunt de situ verborum, aut de emphasi ac luce vocabuli.

Quot sunt?

1. *Repetitio,*
2. *Copulatio,*
3. *Traductio,*
4. *Asyndeton,*
5. *Polysyndeton,*
6. *Homœoptoton.*
7. *Homœoteleuton,*
8. *Hypallage,*
9. *Pararomasia.*
10. *Antanaclasis*
11. *Eclypsis*
12. *Aposiopesis.*

Quid est repetitio?

Est, cum eadem vox repetitur, vt:

At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidit ingenio, stat sine morte decus.

Quid est copulatio?

Est cum verbum repetitur cum quadam peculiari significantia, vt: Ad illum diem erat Memmius, Memmius, id est, sui similis. In hoc tumultu Consul

erat Consul. id est, fortis & constans, qualem decet esse consulem.

(Græcè vocanti πλοκὴν)

Quid est Traductio?

Est, quæ eandem vocem repetit alio casu. vt: Qui nihi l habet in vita iucundius vitâ, is cum virtute non potest vitam colere,

Quid est Asyndeton.

Est, cum multa sine coniunctione cohærent, vt veni, vidi, vici. (Latinè Articulus.)

Quid est Polysyndeton?

Est, cum oratio multis coniunctionibus cohæret, vt: Athamasq́, Thoasq́.

Quid est Homœoptoton?

Est, cum simili sono casuum desinunt commata, aut cola in nominibus, vt: Hominem laudat egentem virtutis. abundantem felicitatis.

Quid est Homœoteleuton?

Est, cum in verbis aut alijs vocibus simili sono desinunt cola aut commata, vt: Audacter facere, contumelioſe dicere.

Quid est Hypallage?

Est, quoties oratio ordine rerum inverso effertur. vt apud Virgilium, Date classibus Austros, hoc est, Date classes ventis. Et Cicero: Non vidimus in vrbe gladium vagina vacuum.

Quid est Paranomasia?

Est, cum similitudine literarum deflectimus vocem

cem in contrarium, vt: Terent: Inceptio est amentium non amantium. Non est Orator, sed arator. Non est Theol ogus, sed mataeologus, id est vaniloquus.

(Latinè agnominatio.)

Quid est Antanaclasis?

Est, cum idem verbum nonnihil mutatum, aut mutata significatione repetitur, vt, Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari.

Quid est Eclipsis?

Est, cum deest aliquis casus, vt, Egone illam, quæ me, quæ non?

Quid est Aposiopesis?

Est, cum propter affectum aliqua sententiæ pars præciditur, vt Virgilius:

Quos ego. si præstat motos componere fluctus.

SECVNDVS ORDO figurarum.

Quæ sunt figuræ Rhetorices secundi ordinis?

Quæ ad orationem figurandam pertinent, quæq́ motum, sive gestum quendam orationi addunt.

Quæ sunt?

Interrogatio,	Communicatio.
Subiectio,	Præteritio.
Exclamatio,	Permissio.
Dubitatio,	Auersio.
Paradoxon,	Licentia.

Quid est Interrogatio?

Est qua rogamus aut percunctamur, vt Verg:
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes.

Quid est Subiectio?

Est cum ipsi respondemus nostræ interrogationi vt Terentius: Egone propter me illam decipi miseram sinam? non faciam.

Quid est exclamatio?

Est, quoties particulam ó aut similem orationi subijcimus. vt, ô tempora, ô mores.

Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore.

(*Huc pertinent imprecatio, obtestatio, ominatio.*)

Quid est dubitatio?

Est, cum dubitare & nescire nos aliquid significamus, equidem quo me vertam: nescio.

Quid est Paradoxon?

Inopinatum, vt Cicero: Nunquam credidi fore Iudices, vt reo Scauro, ne quid in eius iudicij gratia valeret, precarer.

(*Huc pertinent Adynaton, & Admiratio.*

Quid est Communicatio?

Est dum Adversarium ipsum consulimus, aut cum iudicibus deliberamus, vt Cedo, si vos eo loco essetis, quid faceretis aliud.

Quid est Præteritio?

Est,

Est, cum simulamus nos aliquid relinquere, aut omittere, quod maximé obijcimus, vt non dicam pro quantis beneficijs qualem mihi gratiam reddideris, Græci vocant παραλειψον.

Quid est permissio?

Est, cum quædam non explicamus, sed æstimanda iudicibus relinquimus, aut etiam adversarijs, vt Scripserit sanè hæc Augustinus, verum non fuit ista eius sententia.

Quid est Aversio?

Est, cum persona mutatur in oratione veluti compellandi alicuius caussa, Græcè ἀποστροφη dicitur, vt Verg: Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.

Quid est licentia?

Est cum apud eos quos vereri debemus, quasi liberiorem personam induimus, aut in commonefacien do, aut obiurgando, quale est illud Davi ad Simonem, in Andria Terentij: Et quod dicendum hic fiet, tu quoq; perparce nimium, non laudo. Græci παρρησια vocatur.

TERTIVS ORDO.

Quæ sunt figuræ Rhetoricæ 3. ordinis?

Quæ non tam orationem exornant, quam ipsum orationis corpus augent & amplificant.

Quæ sunt?

Ex definitione quinq. *Ex divisione tres.*

1. *Auxesis,*
2. *Tapinosis*
3. *Synonymia*
4. *Expolitio.*
5. *Finitio.*

Ex contrarijs decem,

1. *Contentio.*
2. *Commutatio.*
3. *Inversio.*
4. *Communicatio*
5. *Correctio.*
6. *Reiectio.*
7. *Occupatio.*
8. *Concessio.*
9. *Paradiastolæ,*
10. *Anthypophora.*

Ex similibus tres.

1. *Comparatio.*
2. *Prosopopœia.*
3. *Sermocinatio.*
1. *Distributio.*
2. *Congeries.*
3. *Incrementum*

Ex causis tres.

1. *Æthiologia,*
2. *Translatio.*
3. *Gradatio*

Ex genere tres

1. γνῶμη.
2. *Epiphonema.*
3. *Noema.*

Ex circumstantijs duæ.

1. *Hypotiposis.*
2. *Parthopœia.*

His adduntur:

1. *Transitio &*
2. *Parenthesis.*

Oriuntur hæ figuræ ex locis Dialecticis, Definitionis. Diuisiones causarum: namiisdem loci cum confirmandi, & confutandi causa adhibentur, argumenta, sunt & nerui vt vocent: cum adhibentur, illuminandi causa, ornamenta dicuntur.)

EX DEFINITIONE.

Quid est Auxesis?

Est cum verbo vtimur, quod rei magnitudinem superare

superari videtur, vt pro conviciari debacchari, pro errato, scelus.

(Hyperbola dicitur, cum res iusto altius attollitur It clamor cœlo, Ocyor Euro, Vox astra ferit.)

Quid est Tapinosis?

Est cum rem extenuamus, vt cum dicimus perstringere, pro vulnerare, pro sævitia iracundiam, pro scelere erratum,

(*Alio nomine* μείωσις, *Latinè extenuatio.*)

Quid est Synonymia?

Est, cum verba pene Synonyma coniungimus, Turci crudelissimi trucidant & mactant infantes.

(Fabius vocat congeriem verborum. Latini interpretationem. Et decet in posterioribus verbis emphasin esse maiorem.)

Quid est Expolitio?

Est, quæ eandem sententiam commutatis verbis explicat, vt Ovid:

Ipse decor recti facti, si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.
Nil nisi quod prodest carum est, en detrahi menti
Spem fructus avidæ, nemo petendus erit.

Quid est Definitio?

Est cum non simpliciter, sed cum definitione aliquid efferimus, vt: Non est hoc principis, sed Tyranni, nam bonus princeps non sibi, sed populo gerit imperium, Græcè ὁρισμός *dicitur.*

EX

EX DIVISIONE TRES.

Quid est distributio?

Est, *cum totum in partes aut membra partimur, vt. sine scientia literarum non possunt teneri Respublicæ. Non possunt tradi religiones, retineri leges, & ciuilis disciplina sine literis.*

(*Huc pertinet & διαλυσις, vt Iudices partim gratia, partim pecunia corrupti sunt.*)

Quid est Congeries?

Est, *quando plures species coaceruantur, vt apud Salustium de Catilina, Animus subdolus, audax, vanus, cuiuslibet rei simulator aut dissimulator, alieni appetens. Græce ἐυναθροισμος vocatur.*

Quid est Incrementum?

Est, *cum non eiusdem significationis verba coniungimus. sed per gradus ab infimis ad summa imus, vt; percussit, sauciauit, occidit.*

Interdum fit in plurimis membris, vt Cicero: Facinus est uincere ciuem Romanum, scelus verberare, parricidium necare.

EX CAVSIS TRES.

Quid est Aetiologia?

Est, *cum causam recitamus, vt Cicero pro Archia: Si quid est in me ingenij Iudices, iure repetit Archias fructum meorum studiorum. Sequitur ratio, Quia fuit mihi autor suscipiendi hæc studia.*

(*Huc pertinet & διαλογολογια, cum aliquam officij rationem exponimus, aut excusationem, Et*

Et ἀναγκαῖον cum allegatur necessitas)

Quid est Translatio?

Est, *cum alicuius rei causa refertur in locum digniorem, aut magni profuturum dicenti, vt, Cicero pro Marcello hortatur Cæsarem, vt tueatur vitam non tantum sui causa, sed Reipub. quia maxime expediat Reipub. ipsum viuere.*

(*Græcè dicitur Metastasis. Huc pertinet & Dolor, quo caussam alicuius facti nobis commodam fingimus.*)

Quid est Gradatio?

Est, *cum per gradus itur ab aliis ad alia, ita ut semper proximum verbum repetatur, vt Secundæ res pariunt negligentiam, negligentia temeritatem, temeritas evertit homines.*

(*Græcè κλίμαξ appellatur.*)

EX CONTRARIIS X.

Quid est Contentio?

Est, *cum per contraria amplificamus seu declaramus aliquid, quod fit aut singulis verbis, vt, Non est vera, sed falsa gloria placere vulgo, aut integris orationibus, vt:*

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes,

(*Græci Antithesin vocant.*)

Quid est commutatio?

Est *cum contraria transponuntur, vt Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. Labor*

est

est etiam ipsa voluptas. Eder oportet, vt vivas, non vivere, vt edas. Græcè ἐναντιοπαλαβολὴ & μετάθεσις dicitur.

Quid est inversio?

Est, cum ostendimus pro nobis facere argumentum quod contra nos detorquetur, vt sepelisti, igitur occidisti. Potest inverti, imò si occidissem, non sepelissem.

Quid est Communicatio?

Est, cum idem contrarijs tribuitur, vt, Pariter in imperio nocent, severitas & nimia lenitas, Græci συμπεπλεγμένον vocant.

Quid est correctio?

Est, quæ tollit quod dictum est, supponens aliud magis idoneum, vt pro Milone. Quas ille leges si modo leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis, & pestes Reipub. Græcè vocatur ἐπανόρθωσις.

Quid est Reiectio?

Est, cum aliquid reijcimus tanquam indignum aut intempestivum, vt: Quid attinet de hac dicere, cum ad præsentem causam nihil faciat. Græcè ἀποδόκιμασις videtur.

Quid est Occupatio?

Est, cum respondemus tacitæ obiectioni, quod fit cum ipsi animadvertentes, quid nobis obsit prius, id diluimus quam obijci possit, vt Cicero Pro Archia: Ac ne quis à nobis ita hoc dici miretur, quod alia quædam in hoc, facultas sit ingenij.

(Aliter præsumptio, Græcè προκατάληψις.

Quid

Quid est Concessio?

Est, cum quædam largimur adversario, vt reliqua magis exaggerari possint, vt: esto, vt iles sint quædam constitutiones ac ritus in Papistica Ecclesia, tamen dogmata impia sunt, & falsa opinio in seruandis ritibus, Græci vocant παρομολογίαν propemodum confessionem.

Quid est Paradiastole?

Est, cum ita aliquid conceditur, vt vicinum quid dam detrahi possit, vt virtus laborare potest, opprimi non potest. Fabius cantor est, negligens non est.

Quid est Antipophora?

Est forma respondendi, cum aut simpliciter respondetur ad interrogationem, aut tollitur quæstio opposito argumento firmiori, vt Difficilis Labor est exercendi styli, sed habet plurimas ac maximas vtilitates, vocatur & ἀντιφορὰ γωγή.

EX SIMILIBVS TRES.

Quid est Comparatio?

Est similium vel dissimilium inter se collatio, quæ maximam vim habet in amplificando, vt Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius virtutem filij morte mulctavit.

(Huc pertinent loci Dialectici, ex pari, ex maiori, ex minori. Item exemplum, apologi, icones, vt cum lupum dicunt pro malo doctore.

Quid

Quid est Prosopœia?

Est, cum persona fingitur, vt fama apud Vergilium, aut cum rei inanimatæ sensum tribuimus, vt: vos Albani tumuli, (Cicero consortationem vocat.)

Quid est Sermocinatio?

Est cum orationem personæ alicui tribuimus, vt si quis fingat Maximilianum in oratione adhortari Carolum Imperatorem ad componenda Ecclesiæ dissidia.

A GENERE TRES.

Quid est γνώμη?

Sententia seu dictum continens præceptum de moribus aut de aliquo vitæ casu vt apud Ciceronem: vultu sæpe læditur pietas. Item posteriores cogitationes sapientiores.

(*Huc pertinent leges, proverbia & dicta clarorum virorum, quæ vocant ὑποθήκας quale est dictum Catonis, Radices virtutum esse amaras, fructus vero dulces.*)

Quid est Epiphonema?

Est amplificatio honestatis, seu dignitatis, utilitatis, facilitatis, difficultatis in fine addita adaugendam admirationem, vt Adeo in teneris consuescere multum est. Hoc vero regium est consulere vtilitati reipub.

Quid est Noëma?

Est

Est, quod verba sumit ex loco communi, quæ ad præsentem causam accommodat, vt recte ad locum communem alludere intelligatur, vt bene collocaui beneficium, cum in Virum optimum, tum in hominem gratum contuli.

EX CIRCVMSTANTIIS DVAE.

Quid est Hypotiposis?

Est, vbi res ita narratur, vt videatur quasi oculis subiecta, quod fit, cum diligenter persequimur circumstantias, vt Cicero pingit Milonem in rheda penulatum, cum vxore, parvis liberis. Clodium vero armatum sedentem in equo, pugnantem ex loco superiore.

Quid est Pathopœia?

Est, affectuum varietas, quæ à circumstantijs, sexu, tempore, locis, personis & ætatibus petitur.

(*Eius species sunt exclamariones, deprecationes, vota, minationes.*)

Quid est Transitio?

Est, cum monemus quid dictum sit, & quid restet, vt: Hactenus dixi quantum insit turpitudinis in ebrietate, nunc exponam quantum noceat valetudini

Quid est Parenthesis?

Est breuis interpositio declarandi causa inserta, vt: Tam venus ocia amat finem qui quæris amoris
(Cedit amor rebus) res age, tutus eri.

DE IMITATIONE.

Quid est Imitatio?

Est (vt ex Quintiliano colligitur) cum ex autorihus lectione dignis verborum copia sumitur, & varietas figurarum, ac componendi ratio, atq; ad exemplum virtutum omnium mens dirigitur.

Quotuplex est Imitatio?

Duplex, Generalis & specialis,

Quid est imitatio generalis?

Est, qua bonos omnes imitamur.

Quotuplex est imitatio generalis?

Duplex, Rerum & verborum seu elocutionis.

Quid est imitatio rerum generalis?

Est, qua bonos omnes in inventione ac dispositione imitamur,

Quot in ea sunt obseruanda?

Duodecim,

Primo? quibus ex locis boni autores ducant exordia.

Secundo, vnde sumant amplificationes.

Tertio, quomodo tractent locos communes & affectus.

Quarto, quomodo concilient animos, quomodo perturbent.

Quinto, quam tempestiuè & parcè aspergant sententias.

Sexto, quam diligenter conservent decorum.

Septi-

Septimo, quando consilio disponant partes, in causis:

Octauo, vbi præparent auditorem.

Nono. vbi narrent,

Decimo, vbi disputent.

Vndecimo, vbi refutent adversarium.

Duodecimo, quando in Epilogis motus & affectus orationi addant.

Quot modis fit hæc?

Duobus.

Interdum enim easdem ab illis desumptas, ad nostras causas apte transgerimus, Interdum similia exempla gignimus, sicut boni pictores non mutuantur, sed imitantur formas variorum corporum.

Quid est generalis imitatio verborum?

Est, qua verba, phrases, & figuras mutuamur ab ijs autoribus omnibus, qui prprissimè & purissimè locuti sunt, quales sunt, Cicero, Cæsar Terentius, Liuius.

SPECIALIS IMITATIO.

Quid est imitatio specialis?

Est, qua Ciceronianam compositionem sequimur quia apud eum peculiaris quædam collocatio membrorum orationis.

Quot sunt de Ciceronis compositione præcepta præcipua?

Tria.

Quod est primum præceptum?

Vt sit iustus sententiarum ordo, quem in narratione seu expositione facti seruare facile est: Verum in exordijs & probationibus difficilius.

Quæ est in exordiis, & probationibus disponendis eius ratio?

Primo poni solet aliqua propositio suæ cuiusq; partis in oratione. Deinde subijcitur ratio, postea sequitur rationis expositio aut amplificatio. Interdum sequitur simile, aut dissimile, aut aduersatiua, quæ quasi novæ orationis initium est. Et in his partibus perpetuo versatur Ciceronis oratio.

Quod est secundum præceptum?

Vt sententiæ in magna parte orationis illigentur periodis, quæ colis & commatis constant.

Colon est vnica in regra sententia vt quæ homines arant, ædificant, omnia virtutiparant. Comma est pars coli, vt, navigant, ædificant. Periodus est orationis circuitus constans, vt minimum duobus colis. Colliguntur autem sententiæ in periodis particulis rationalibus, caussalibus, relativis, comparatiuis, aduersatiuis

eiuis, interdum etiam copulatiuis. Exempla vbiq; obuia sunt apud Ciceronem.

Quod est tertium præceptum?

Vt sententiæ verbis ornentur. quod cum fit, oratio erit vberior & mollior.

DE TRIBVS GENERIbus dicendi.

Quid sunt genera dicendi?

Sunt diversæ formæ, seu vt Græci nominant χαρακτῆρες orationis, quas formas ingeniorum dissimilitudo peperit.

Quot sunt genera dicendi?

Tria: Humile, Grande, & Mediocre.

Quid est genus humile?

Est, quod non assurgit super quotidianam loquendi consuetudinem, eius artifex est Terentius.

Vitiosi in hoc genere breves, & ieiuni, horridi, & obscuri, qualis est in orationibus alicubi Salustius.

Quid est genus grande?

Est, quod ex magna parte proprio sermone constat, tamen Metaphoras habet crebriores, ac longius petitas, copiosè amplificat, adhibitis omnibus figuris, & quasi de industria ostendit ornatum, qualis est oratio Liuij.

(Vicioſa ſunt tumidi & inflati, qui Aſiatici olim dicti ſunt.

Quid eſt genus Mediocre?

Quod copioſius quiddam eſt, & abundat figuris, ſed amplificando aliquantulum reſiſtit infra grande genus, qualis eſt Ouidius, ac pleræq; epiſtolæ & orationes Ciceronis.

(Miſcentur autem hæc genera inter ſe, ſicut Muſici tonos miſcent.

Ad quid prodeſt diſcrimen generum dicendi obſeruare?

Vt virtutes diſſimilium autorum, quos legimus, melius perſpiciamus: & vt vnusquisq; obſervet ad quod genus natura videntur magis appoſitus.

SELECTORVM EX ELEmentis Rhetorices Finis.

DE

DE VTRAQVE COPIA VERBORVM ET RERVM, EX ERASMO ROTERODAMO, ET IOANNE Riuio Atthendorienſe, breuiter ſelecta diſcendi gratia.

Quid eſt COPIA?

EST *facultas quædam, vnam eandemq; rem eum aliis atq; aliis verbis efferendi, tum vero argumentorum & figurarum varietate augendi & locupletandi.*

Quotuplex eſt Copia?

Dupl'ex. Verborum & rerum.

Quid eſt Copia Verborum?

Facultas, qua vna eademq; ſententia varijs modis efferri poteſt.

Quid eſt Copia rerum?

Eſt facultas qua brevis quædam ſententia dilatatur, & vberius atq; fuſius explicatur.

Quibus in rebus conſiſtit Verborum Copia?

Synonymia; Heteroſi, Metaphora, reliquisq; hoc genus variandi rationibus.

Quibus in rebus conſiſtit Rerum Copia?

In congerendis, dilatandis, amplificandis argumentis omnibus, contrarijs atq; alijs hoc genus modis.

Quid intereſt inter verborum & Rerum copiam?

Per copiam verborum oratio ſola variatur, eadem manente ſententia, nec augetur corpus orationis vel augmentum: Per copiam Rerum variatur, & augetur argumentum, vel materia orationis.

Ad quid conducit copiæ exercitatio?

Primò, ad vitandam ejuſdem verbi, aut ſermonis iterationem.

Secundò, ad diſtinguendam varietate quadam orationem.

Tertiò, ad ſubitam ex tempore dicendi ſcribendiq; facultatem.

Quartò, ad enarrandos autores, ed vertendos ex alieno ſermone, ad ſcribendum deniq; carmen.

DE VERBORVM COPIA.

Quot ſunt rationes variandi orationes per verborum copiam?

Viginti ſex præcipuæ

1. *Synonymia.*
2. *Enallage.*
3. *Antonomaſia.*
4. *Periphraſis.*
5. *Metaphora.*
6. *Allegoria.*
7. *Catachreſis.*
8. *Metonymia.*
9. *Synechdoche.*
10. *Iſodynamia.*
11. *Comparatiua.*
12. *Relatiua.*
13. *Auxeſis.*
14. *Hyperbole.*
15. *Meoſis.*
16. *Compoſitio.*
17. *Syntaxis.*
18. *Mutatio figuræ.*
19. *Variatio primi ſupini.*
20. *Variatio Imperatiui.*
21. *Variatio futuri.*
22. *Variatio generalis propoſitionis.*
23. *Variatio ſuperlatiui.*
24. *Connectendi particulæ*
25. *Tranſitionum formulæ.*
26. *Decem generalia præcepta mutandæ & variandæ orationis.*

Quæ eſt prima ratio?

Synonymia, quæ in his verbis ſita eſt, quæ diverſa cum ſint eandem omnino rem ſignificant, vt Enſis, gladius. Domus, ædes. Literæ, Epiſtolæ.

Quæ eſt ſecunda ratio?

Enallage ſive Heteroſis, quæ duobus potiſſimum conſtat modis. Alias enim pars ipſa mutatur, aliàs qualitas.

Quot modis pars mutatur?

Quinq;. Quibus?

Primò, verbum nomine permutatur, vt: Non dubito, Non eſt mihi dubium.

Secundò Verbum participio, vt redama eum, qui te amat. Amantem redama.

Tertiò, gerundium gerundio vt Ibo ad audiendum

endum concionem, ibo ad audiendum concionem.

Quartò, verbum supino, vt venit ereptum, pro Venit vt eripiat.

Quintô. adverbium nomine, vt frequenter est in aula, frequens in aula est.

Quot modis mutatur qualitas?

Duodecim. Quibus?

Primô, ponitur numerus pro numero, vt: Romanus prælio victor, pro Romani victores.

Secundô, permutatur persona, vt, qui scire posses, pro qui scire posset quispiam, apud Terentium.

Tertiô, variatur genus, vel nominis, vt pileum & pileus: vel verbi, vt Lachrymat, pro Lachrymatur.

Quartò, mutatur casus, vt eius rei venit in mentem, pro ea res. Dono tibi libro, dono tibi librum.

Quintò variatur species nominis velut cum vtimur vel abstracto pro adiectiuo, vt magnitudo meritorum, pro merita magna: vel diminutiuo loco simplicis, vt loquaculus, pro loquax: vel aut comparatiuo, aut superlatiui loco positi, vt tristior, pro tristis, facundissimus, pro vehementer facundus: vel possessiuo loco primitiui, vt iuxta sententiam Homeri-cam, pro, iuxta sententiam Homeri.

Sextô, mutatur species verbi, velut cum frequentativum loco primitiui ponitur, vt Dictito pro Dico.

Septimô, figura mutatur, & simplex pro composito ponitur, aut contra, vt ponere, pro deponere, conscribere, pro scribere.

Octa-

Octauo. mutatur tempus, vt prædiceres, pro prædixisses, vicimus pro vincemus.

Nonô, mutatur modus, vt: Ne crede, pro, ne credas: Invenerit. acciderit, pro inveniet, accidet.

Decimo, declinatio, vt hilarus pro hilaris.

Vndecimo, coniugatio, vt Lavare, pro Lavere.

Duodecimo, variatur dictio Epenthesi, vt Maauortis pro Martis: Proparalepsi, vt Dicier pro dici: Aphæresi, vt, Ruit omnia latè, pro eruit! Syncope, vt Dixti. pro dixisti: Apocope, vt, Quid captem consili, pro consilij.

Quæ est tertia ratio?

Antonomasia, quæ constat nominis permutatione; vt Pelides, pro Achille, Dardanidæ, dro Troianis Pœnus, pro Annabile, apud Livium. Senex pro persona heri, apud Terentium,

(Huc pertinet, si quis appellatiuo proprii vice vtatur, vt cum Apostolum dicimus pro Paulo Servatorem pro Christo, Item proprio appellatiui loco, vt Verrem, pro fure. Thrasonem pro glorioso, Catonem pro sapiente.)

Quæ est quarta ratio?

Periphrasis quæ pluribus fit verbis, vt eloquentiæ Romanæ princeps, qro Cicerone, Troiani belli scriptor, pro Homero.

Quot fit modis Periphrasis?

Tribus. Quibus?

Etymo-

Etymologia, Notatione, & Finitione

Quid est Etymologia?

Cum nominis rationem explicamus, vt Homo, apientiæ studiosus, pro Philosopho Qui literas docet pro Grammatico.

Quomodo Notatione?

Cum notis quibusdam accidentium rem quam præ-am describimus, vt si quspiam intelligens, animi aut bilis effervescentiam dicat.

Quomodo Finitione?

Cum quid res sit ostendimus, vt ars benedicendi, pro Rhetorica, Animal rationis particeps pro homine.

Quæ est quinta ratio?

Metaphora.

Quid est Metaphora?

Est cum vox a natura, propriaq; significatione ad non propriam transfertur.

Vnde sumuntur Metaphoræ?

Primô, a sensibus corporis ad animum. A visu vt videre, pro intelligere. Ab auditu, vt audire, pro obtemperare. Ab olfactu, vt odorari, pro indagare. A gustu, vt degorare, pro rem acerbam, velut citra sensum perferre.

Secundò, a bruto ad hominem, vt oblatrare pro obtrectare: aut contra ab homine ad brutum, vt si quis

quis canem assentatorem, leonem ambitiosum, vulpem perfidum dicat.

Tertiò ab animali ad non animal, vt vertex montis, iratum mare. Aut contrv á non animali ad animal, vt viridis ætas, Ambo florentes ætatibus, apud Vergilium.

Quartó, ab animali ad animal, vt si quis corvum sui inequitantem dicat.

Quintò, ab inanimato ad animatum, vt si quis orationem fluere dicat.

(Metaphora in simplici nomine interdum sita est, vt si quis hominem ventri addictum, pecudem appellat. Interdum in Epitheto, vt floridaætas. Interdum in verbo simplici, vt avolat ætas. labuntur anni. Interdum additur quiddam, quod Metaphoram explicet, vt omnes incenduntur ad studia gloria.)

Quæ est sexta reatio?

Allegoria,

Quid est Allegoria?

Est cum tota oratio aliud verbis, aliud sensu præ se fert, quæ Metaphora perpetua dici potest. vt flamma fumo est proxima.

Hic aliud verbis, aliud sensu ostenditur, videlicet in tempore cavendum esse periculum, & vitandi mali occasionem.)

Quæ est septima ratio?

Catachresis,

Quid est Catachresis?

Est cum propter necessitatem abutimur vocabolo

bula in significatu non proprio & suo, vt cum Piscinam dicimus, in qua lavamus, nec tamen pisces insunt. Latiné abusio.

(Addit Erasmus hoc loco, Onomatopœiam, quæ fictio nominis dici potest, vt Taratantara, Pro voce tubæ. Ad quam formam pertinet Paragoge, id est, deductio & derivatio novorum verborum, ex Analogia sumpta, vt Syllatur ire pro eo, quod est Syllæ mores imitare velle. Interdum eiusdem dictionis varia est. Paragoge, vt voluptuosus, & voluptuarius. Edax & edo, Homunculus, Homulus, homuncio, Pauxillum & paucula. Quorum observatio copiam orationis non mediocriter adiuuabit. Addit quoq; Metalepsin, qua gradatim itur ad id quod ostendimus, vt: Post aliquot mea regna videns mirabar aristas. Nam per aristas intelligis messes, per messes æstates, per æstates annos, Latiné transsumptio, vel transmutatio.)

Quæ est octava ratio?

Metonymia, hoc est transnominatio, cum vicino vocabulo pro vicino vtimur.

Quot modis fit Metonymia?

Quinq̃. Quibus?

Primò, cũ inventorem pro re inuenta ponimus, vt cererẽ, pro cibo, Liberũ pro vino, pro libidine Venerẽ.

Secundò. cum id, quod continet, pro eo quod continetur, vt Epotum poculum, apud Ciceronem pro

pro Cluent. Aut contra id quod continetur, pro eo quod continet, vt Vergil, Iam proximus adet Vcalegon, pro domus Vcaligontis.

Tertio, cum efficiente effectum significamus, vt melior remis, pro velocitate quæ fit remis. Aut contra, vt frigus pigrum, audax inventa.

Quarto, cum ducem ponimus pro his qui subsunt vt ab Annibale cæsa sunt, apud Cannas, sexaginta millia, id est, ab eius exercitu.

Quinto, cum autorem pro opere ponimus. vt cum dicimus, Plinium semper in manibus habendum.

Quæ est nona ratio?

Synechdoche, qua pars pro toto, vel totum pro parte sumitur: Latini intellectionem verterunt.

Quot modis fit Synechdoche?

Sex. Quibus?

Primo, quoties ex vno plures intelligimus, vt, Pœnus fugatus Pro pœni.

Secundo, cum ex parte totum, vt tectum, pro domo, aut contra, vt Fontem, ignemq; gerebant, pro aquam è fonte hausiam.

Tertio, cum é specie genus, vt iracundior Adria pro quovis mari, apud Horatium.

Quarto, cum ex materia rem confectam, vt ferrum pro gladio, abies aut pinus, pro navi.

Quintò

Quintò, cum ex præcedentibus sequentia, vt: Subdidit equo calcaria pro cucurrit.

Sextò, cum & quoquo modo aliud ex alio intelligitur, vt vixerunt, pro mortui sunt. Fuimus Troes, pro iam actum est cum nobis.

Quæ est decima ratio?

Isodynamia, id est æquipollentia,

Vnde constat Isodynamia?

Vocibus contrarijs, & negationis vel additione, vel detractione, vt: viregregiè doctus, vir minimè indoctus. Omnia feci, nil non fecit Placet, non displicet. Accipio conditionem, non repudio conditionem.

(Sunt autem pugnantia, triplicia. Contraria, vt amor, odium. Privativa, vt cœcus, videns. Contradictoria, vt nolo, volo: Doctus, non doctus: probat, non probat.)

Quæ est vndecima ratio?

Comparatiua, in puibus fit Isodynamia citra negationem, translatis tantum partibus, vt Minoris facit famam, quam pecuniam. Pluris facit pecuniam, quam famam. Anteponit famam pecuniæ. Posthabet pecuniam famæ.

Quæ est duodecima ratio?

Relatiua: vt vxor illius esse non vult. non vult illum maritum. Hoc me docuisti, hoc ex te didici.

Quæ est decima tertia ratio?

Auxe-

Auxesis quæ hic est amplificatio verbi solum, hoc est, cum amplificanda rei gratia verbum atrocius subijcimus loco proprij, vt cum latronem dicimus, qui sit improbus, mutum qui nihil respondeat.

Quæ est decima quarta ratio?

Hyperbole.

Quid est Hyperbole?

Est quædam rei supra fidem amplificatio, vt, Ocyor Euro, Fulminis ocyor alis, vix ossibus hæret.

Quæ est decima quinta ratio?

Meiosis, quæ est extenuatio incredibilis, vt cum attigisse dicimus eum, qui pulsavit: læsisse qui vulnerauit.

Quæ est decima sexta ratio?

Compositio, qua situs & ordo verborum consuetus mutatur.

Quibus in rebus sita est?

Asyndeto, vt veni, vidi, vici, Polysyndeto. vt Terentius: Stertit noctesq; & dies. Syzeugmeno, quoties ad unum verbum plures, sententiæ respondent. Id fit trifariam. Aut cum verbum ipsum antecedit, vt Defloresçit forma, vel morbo vel ætate. Aut cum sequitur, vel morbo vel ætate forma defloresçit: Aut ponitur verbum in medio, vt: Ætate forma defloresçit, vel morbo.

(Huc pertinent, cum ex oratione simplici duplicem facimus, aut conta, vt: Omnia tu mihi debes, quicquid habes, id omne mihi debes.)

Quæ est decima septima ratio?

Syntaxis, cum é constructione quædam sermonis varietas existit, ut multa pecunia, multum pecuniæ. Tota nocte potauit, totam noctem.

Quę est decima octava ratio?

Mutatio figuræ, qua alia atq; alia affectu ac veluti habitu profertur oratio. Per interrogationem vt, non est miserum mori? usq; adeone mori miserum est? Ironia, vt. Non hoc curat populus, id populus curat scilicet. Admirationem, vt, multum homini homo præstat. Dij immortales, homo homini, quid præstat. Dubitationem, vt contemnit & deos & homines. Haud scio, magisne Deos contemnat, an homines. Adiurationem, vt non aliter scribo, quam sentio, Ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio. Abominationem, ut ista nunquam cogitavi, Dij meliora, quam vt ista cogitarim. Exclamationem, vt Bruti literæ amanter scriptæ: O Bruti amanter scriptas literas, Occupationem, ut virgines complureis vitauit: ut interim de Vastali pollucto sileam. Subiectionem, ut, Cum & genere sis obscurissimo, & re nulla, nullis literis, nulla forma, ingenio nullo, quid est cur te adeo jactes? Per subiectionem hoc modo. Quid habes, cur tam sis insolens? Natalium splendorem, Atqui genere es obscurissimo. Opes, At vel ipso es pauperior. Sic etiam de cæteris. Est enim subiectio, cum nobis ipsis respondemus.

PRIMI

PRIMI SVPINI VAriatio.

Quot modis primum supinum variatur?

Sex. Quibus?

Primo, per Gerundium, Vt. Venit, ereptum virginem, venit ad eripiendum virginem.

Secundo, per Gerundium, vt venit ad eripiendam virginem.

Tertio, per Gerundium in Di, vt venit caussa eripiendi virginem, quod & ipsum per gerundium fieri potest, vt venit caussa eripiendæ virginis.

Quarto, per verbum, vt, venit vt eripiat virginem.

Quinto, per participium, vt: Venit erepturus virginem.

Sexto, per indefinitum, sed Græca consuetudine, vt: venit eripere virginem.

VARIATIO IMPERATIVI

Quot modis variatur imperativus?

Duobus. Quibus?

Primum, per subiunctivum, vt saluta, fac vt salutes.

Secundo per futurum Indicativi, vt, Vale, valebis.

VARIATIO FVTVRI.

Quomodo variatur Futurum?

Per verbum ſubſtantivum, vt : Pœnitebit, te olim, futurum eſt, ut te pœniteat, Spero te gaviſurum facto, ſpero futurum, ut facto gaudeas.

Quot modis effertur hæc oratio,
(Dieweil wir ſtudieren.)
& ſimiles ?

Tribus *Quibus?*

Primo per præpoſitionem, vt : inter ſtudendum

Secundo, per duos ablativos abſolutè poſitos. vt: Stndentibus nobis :

Tertiò, per verbum ſubiunctivi modi, vt: Dum ſtuderemus.

VARIATIO GENERALIS propoſitionis.

Quot modis effertur generalis propoſitio?

Quatuor. *Quibus?*

Primò, proprijs ac peculiaribus ſignis, vt: Omnibus eſt moriendum.

Secundò, per Iſodynomiam, vt : Nemini, non eſt moriendum.

Tertiò, per interrogationem, vt: Cui non eſt moriendum? Quis eſt cui non ſit moriendum.

Quartò, per ſignum infinitum, vt haud eſt vllus cui non ſit aliquando moriendum.

SVPERLATIVI VARIATIO.

Quomodo variatur Superlativus?

1. Per

1 Per comparativum affirmativè & negativè vt, Vir omnium humaniſſimus : Affirmativè, vt, Vir cæteris omnibus humanior. Sed inuſitatius, Negativè vt, nemo hoc viro humanior.

2. Per Syntaxin, nemo quam hic vir humanior.

3. Per Periphraſin, Vir quo non humanior alter, vel per neutrum genus. Quid hoc viro humanius ?

4. Per ſignum infinitum, vt, haud eſt vllus hoc viro humanior, vel neutrum genus, haud eſt quicquam hoc viro humanius.

6. Per ſyntaxin caſus ſuperlativi, Vir omnium humaniſimus, Vir inter omnes humaniſimus, Vir ex omnibus humaniſimus.

7. Per Peripòraſin, Vir maximè omnium humanus.

8 Per Heteroſin ſpeciei, vt ſumma eſt Viri humanitas.

9. Per verbum ſuperare, vincere. antecellere, præſtare & ſimilia, vt hic vir omnes humanitate ſuperat, Facile omnes vincit, Longè præſtat. Hunc virum ſuperat humanitate nemo.

10. Per verbum paſſivum, vt hic vir humanitate non facile ſuperatur à quoquam.

11. Per interrogationem, vt, quem non hic vir humanitate vincat ?

12. Per contrarium, vt, hic vir humanite nulli cedit.

13 Per Heterosin figuræ, De humanitate, quis non huic viro concedat.

14 Per Comparativa, Hic vir omnibus humanitate superior.

15 Per contrarium, Hoc viro nemo non humanitate inferior: Hic vir nulli humanitate secundus.

16. Per Isodynamiam, vt Vir minimè omnium inhumanus,

17. Per exclamationem, O singularem viri huius humanitatem.

18, Per admirationem, Dij boni quanta est viri hujus humanitas.

19. Per adjurationem, Ne vivam, si quid unquam vidi hoc viro humanius.

20. Per particulas Tam & Quam, vt Nemo tam humanus, quam hic vir. Per perinde, atq; ut, Quis perinde humanus, atq; hic vir? Per æq; atq;, vt, Haud est quisquam omnium æq; humanus, atq; hic vir. Per adeo vt, Vt Vir adeò humanus, vt, nemo sit cum eo conferendus. Per ita, vt, Nemo ita humanus, vt hic vir.

21. Per Heterosin speciei, vt Ea viri huius est humanitas, vt & ei nemo sit æquandus, Vel. Singulari in omnes humanitate, &c. Per Isodynamiam, vt vir humanitate præditus haud vulgari. Per Hyperbolen, Vir non humanus, sed ipsa pene humanitas.

22. Per Periphrasin, Vir maximè humanus, Vir minimè inhumanus.

23. Per

23 Per Auxesin, vt: Vir incredibili humanitate, Vir exemplum humanitatis, quomodo Terentianus Simo exemplum continentiæ dixit, & Cicero innocentiæ exemplum, de Rutilio loquens.

Connectendi particulæ.

Quæ sunt connectendi particulæ?

Primum, deinde, præterea, adhæc, quid quod, deniq;, quinetiam, posthæc, postremò, adde hu, huc pertinet.

Da exemplum.

Cicero: Quæro igitur, vester Deus, primum ubi habitet? Deinde quæ caussa cum loco moveat, si modo movetur aliquando? Postremo, cum hoc proprium sit animantium, vt aliquid appetant, quod sit natura accommodatum, Deus quid appetat? ad quam deniq; rem motu mentis ac rationis vtatur? Postremo, quomodo beatus sit, quomodo æternus? libro 1. de natura Deorum.

Transitionum formulæ.

Vnde sumuntur transitionum formulę?

Primo, ab æquali, vt, Erant hæc jucundissima, neq; minus voluptatis attulerunt illa.

Secundo ab inæquali, vt audistis gravissima, sed audietis graviora.

Tertiò, à simili, vt hæc perfidia designavit, cuius generis sunt & illa, quæ Romæ nuper perpetrasse dicitur.

Quartò, à contrario, sed hæc privatim, nunc quæ publicè, Sed hæc juvenis peccavit, nunc senis virtutes audietis.

Quinto, à diversis, De moribus habes, nunc de doctrina reliquum est ut dicamus.

Sextò, quasi per occupationem, vt jam ad reliqua properabimus, si prius illud adiecerimus.

Septimo per reprehensionem, vt: Quorsum nos transversos abripuit dolor? Ad rem redeamus.

Octavò à consequentibus sive relativis, vt habes quid in illum contulerim beneficiorum, nunc quam gratiam retulerit, audi.

Quis est transitionis usus?

Vt & quid dictum sit, admoneat, ad reliqua comparet auditorem, atq; ita lucem afferat dicendis.

DECEM GENERALIA COMmutandæ & variandæ orationis præcepta.

Quot sunt generalia commutandæ & variandæ orationis præcepta?

Decem. Quæ?

1. *Primum omnium, res ipsa Latinis aptisq; verbis efferenda est, vt Hic est optimè de te meritus.*

2. *Deinde mutatoriis verbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur.*

Idq; fit per { *Synonymiam* / *Heterosin.* / *Antonomasiam*

Periphrasin quæ constat { *Etymologia,* / *Notatione* / *Finitione.*

Per Synonymiam, vt: Plurima extant huius in te beneficia. Per Heterosin partis, verbo nomine permutato, vt: maxima sunt huius erga te merita. Personæ & partis simul, vt: Quintio Fabius plurimum debet, Quintio Fabius bona plurima accepta refert. Figuræ, ut hic est optimè de te promeritus. Per Periphrasin activè, vt: Hic te summis beneficijs affecit. Hic maxima in te beneficia contulit. Passivè, vt, Tu summis es ab hoc beneficijs affectus. Ab hoc multa & præclara in te beneficia collata sunt.

3. *Mox ubi propria deficiunt, translatis vtendum est.*

Id fit per { *Mètapboram.* / *Allegoriam,* / *Catachresin.*

Per Metaphoram active, vt, Incredibile est quantis hic te beneficiis obligaverit, obstrinxerit, devinxerit Passive, Magnis huius beneficiis atq; meritis obligatus es, obstrictus, devinctus. In quibus etiam compositio est, ex oratione simplici, facta duplici.)

4. Quod si translatitia quoq; desint, si activa oratio fuerit, vertenda in passivam erit, vt: Hic plurimis te beneficiis affecit: Plurimis ab hoc affectus es beneficijs.

5. Postea verba in nomina inde deducta, aut in participia commutabimus, vt Multa extant huius in te merita.

6. Substantiva adiectivis ab ijsdem deductis, adiectiva vero si quæ hinc veniant, abstractis permutabimus, vt, immensa est huius erga te beneficentia & benignitas.

(Est & hic Heterosis speciei.)

7. Vbi modo adverbia in nomina, modo nomina in alias atq; alias partes orationis commutaverimus, tum aut per contrariam dicemus, aut orationem ajentem in negantem commutabimus, aut orationem aientem in negantem commutabimus, aut contra per Isadynamiam, vt tu singularia ab hoc beneficia habes: Non vulgaria hujus extant in te beneficia.

8. Si quid simpliciter, & pronunciativè dictum est.

Per { Interrogationem, Dubitationem, Admirationem, Ironiam } efferimus
Per { Abominationem, Adjurationem, Exclamationem } efferimus

Par

Per interrogationem, vt, Quod est quod tu huic non pro suis immortalibus erga te meritis debeas? Admirationem, vt Dij boni, quantum hic in te beneficiorum contulit, quanta huius in te merita sunt! Hic etiam per Syntaxin oratio variatur, Exclamationem, vt: O singularem, & prope incredibilem huius in te beneficentiam O egregia & penè divina hujus erga te merita. Hic orationi alius quasi vestitus atq; habitus datus est (per figuræ mutationem.)

9. Post hæc paulo liberius totam orationem vertere licebit, vt vel unam dictionem pluribus verbis circum eas per Periphrasin vel è simplici oratione duplicem facias per compositionem, quam vocant, vt Tu huic pro eo ac meritus de te est gratiam referre nunquam potes. Hic adeo de te bene meruit, vt egregijs ejus in te officijs respondere nullo modo possis.

10. Post alia omnia similitudinibus interim atq; exemplis vti licebit. Variatur hæc quoq; sententia per Isodynamiam hoc modo: Hujus tu summis beneficijs usus es. Non mediocria sunt erga te merita. Et per Hyperbolen & auxesin, vt: Divina atq; immortalia sunt hujus erga te merita, Hic egregiè in te beneficus et benignus fuit, Et per Relativa, vt hic maximum tibi beneficium dedit. Tu ab hoc beneficium maximum accepisti. Hic tibi summa beneficia tribuit, Huic tu plurimum merito ipsius debes. Hic te maximis beneficijs ornavit. Hæc de verborum copia.

DE

DE COPIA RERVM SEV RATIONE LOCVpletandæ sententiæ.

Quot sunt rationes Copiæ rerum seu locupletandæ sententię?

Duodecim. Quæ?

1. Specierum & partium enumeratio, & speciei cũ genere collatio.
2. Modus vel enumeratio antecedentium.
3. Causſæ, vel enumeratio causſarum.
4. Comitantia & sequentia rem, vel enumeratio effectuum & consequentium.
5. Hypotypoſis vel descriptio personarum,
6. Egreſſio, Græcè παρέκβασις.
7. Epitheta.
8. Circumſtantiæ, Græcè περιστάσεις
9. Ampliſicatio.
10. Multiplicatio propoſitionum.
11. Copioſa probationum & argumentorum accumulatio.
12. Multiplicatio partium orationis Rhetoricæ.

Quæ est prima?

Est cum aut ſpecies vel partes enumeramus, aut ſpeciem cum genere conferimus.

Quot sunt huius rationis ſpecies seu formæ?

Tres. Quæ?

Diviſio, Partitio, Speciei cum genere collatio.

Quid est diviſio?

Est cum quod ſummatim ac generatim dici poterat, id latius explicatur, atq; in ſpecies ducitur, vt Rem universã luxu perdidit. Hoc ſic dilatabitur: Quicquid vel matris vel patris nomine, hæreditate obvenerat, quicquid aliorum affinium morte advenerat, quicquid ex uxoris dote (quæ quidem neutiquam erat vulgaris) acceſſerat, quicquid ex legatis accreverat (accreverat autem permultum) quicquid peculij caſtrenſis conſtituerat; pecuniam omnem, vaſa, veſtes, fundos agros, vna cum ipſis & villis & pecoribus, breviter, rem omnem, ſeu mobilem, ſeu ſoli, deniq; familiam etiam ipſam quotidianis commeſſationibus popinis, cupedys, vnguentis alea, luſibus, paucis diebus, ita abſumpſit, abligurivit, abſorbuit, ut ne teruncium quidem reliquum fecerit.

Hic duo verba, Rem universam, & luxu perdidit, ſuis partibus explicantur.

Quid est partitio?

Est quoties totum, quod non formis ſed partibus conſtat, in eaſdem diducitur, vt: Totus commaduit. A ſummo capillo ad imum uſq; calcaneum pluvia commaduit. Caput, humeri, pectus, venter, tibiæ, totum deniq; corpus pluvia diſtillabat.

In his duabus formis, ſimul & initio ſummã rerũ proponenda eſt, & eadem alia ſermonis ſpecie repetenda, & ita redeundum ad genus, quaſi ſignis enumerandis iam ſimus defatigati, etiamſi nihil erat præteritum

teritum. Præterea cavendum, ne partium ordinem, confundamus, tumultuaria verborum congerie, sed vel ordine scito, vel apta distributione, vel eleganti descriptione, legentis aut audientis tædium excludamus.

Quid est speciei cum genere collatio.

Est, quoties de specie loquentes, genus adiungimus, id quod ferè fit amplificandi gratia, vt, cum omnis eruditio plurimum affert, & ornamenti, & adjumenti mortalibus, tum præcipue Philosophia. Item Omni quidam ætati fœda est libido, verum senectuti multo fœdissima, Item, cum omnibus in rebus plurimum habet momenti, tum præcipue in bonis prudentia.

(Simplex enim erat, prudentiam in bellis plurimum habere momenti)

Quæ est secunda locupletandæ sententiæ ratio?

Modus vel enumeratio antecedentium, hoc est, quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua quæ præcesserunt per sequeant intelligi, singulatim ea quoq; commemoramus, per quæ ad exitum perventum est, vt, Catilina nefarios conatus M. T. Cicero Consul sua sagacitate statim odoratus, singulari vigilantia pervestigavit, summa prudentia, deprehendit, miro in Rempub. studio prodidit, incredibili eloquentia convicit, gravissima autoritate repressit, armis extinxit, magna felicitate sustulit.

Quæ

Quæ est tertia ratio?

Caussæ vel enumeratio caussarum quoties rem, non nudam exponimus sed altius etiam caussam repetimus, à quibus initys sit perfecta, ut si quis in bello quopiam suscipiendo addat, quæ fuerint simultatis caussæ, quis instigator, quæ suscipiendi belli occasio, quæ vincendi spes, quæ utriusq; fiducia.

Exempla passim obvia sunt in Poetis & Historicis, præsertim in Livio.)

Quæ est quarta ratio?

Comitantia & sequentia rem, vel enumeratio affectuum & consequentium, hoc est quoties non simpliciter proponimus negocium sed enumeramus etiam illa, quæ negocium comitantur vel consequuntur, vt Amonius caussa belli civilis fuit, trium exercituum populi Romani interfectorum clarissimorum civium interitus afflictæ senatus autoritatis, omnium denique malorum, quæ videmus. Ex secunda Philippica Ciceronis.

Quæ est quinta ratio?

Hypotyposis, vel descriptio rerum, personarum, locorum, temporum, qua vtimur quoties vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratia, rem non simpliciter exponimus, sed ceu coloribus expressam in tabulis spectandam proponimus, vt nos depinxisse, non narrasse, lector spectasse, non legisse videatur.

Quomodo id præstare poterit?

Si prius

Si prius ipſi totam rei naturam, omnesq; circumſtantias ac veluti faciem animo luſtremus. Deinde ita verbis ac figuris idoneis effingamus, ut quam maximè fiat evidens, perſpicuaq; lectori.

Quo modo locupletabimus orationes rei deſcriptione?

Cum, id quod fit, aut factum eſt cum ſummatim aut tenuiter exponemus, ſed omnibus fucatum colorem ab oculis ponemus.

Quibus rebus conſtant deſcriptiones rerum ſeu Hypotypoſes?

Circumſtantiarum explicatione, collocationibus, ſimilibus, diſſimilibus imaginibus, Metaphoris, Allegoriis, & ſi quæ præterea ſunt figuræ, rem illuſtrant, item Epithetis.

EXEMPLVM.

(Expugnata eſt civitas, apparebant effuſæ per domus ac templa flammæ & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus, unus quidam ſonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo, complexu ſuorum [cohærentes, & infantium fœminarumq; ploratus male uſq; in illum diem ſervati fato ſenes, tum illa prophanorum ſacrorumq; direptio, efferentium prædas, repetentium aq; diſcurſus & acti ante ſuum quiſq; prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter victores.

Vnde petuntur deſcriptiones perſonarum & Proſopopœia?

Ab omni-

Ab omnibus circumſtantijs præcipuè verò ab hac

A natione ſeu patria, vt Pœnus fœdifragus, Mollis Athenienſis.

Ab Ætate, vt Iuuenis prodigus.

A Fortuna, vt Faſtuoſus dives.

A Studijs, vt Glorioſus miles.

Item a communibus affectibus & quo ſit animo pater in liberos. maritus in vxorem, &c.

Quomodo locupletatur oratio locorum deſcriptione?

Quoties tota loci facies, veluti ſpectanda depingitur, vt, vrbis, montis, regionis, fluminis, templi, domus, Frequenter à locorum deſcriptionibus narrationum ſumitur exordium,

Quot modis vtimur deſcriptione temporis, ſeu Chronographiis?

Quatuor. 1. *In narrationum exordijs.*

2. *Gratia delectandi, veluti cum Poëtæ diem, noctem, auroram, aut crepuſculum exprimunt.*

3. *Cauſa amplificandi, vt noctis deſcriptio apud Virgil. lib. 4. ad amplificandum dolorem Didonis pertinet.*

4. *Cauſa probandi, vt deſcriptiones interdum veris, hyemis, autumni, æſtatis, &c.*

(Miſtæ ſunt quoties temporum qualitates exponimus, puta, pacis belli, ſimul cum oſtendimus, quæ virtutes autquæ Vitia tum maxime valuerint.)

Quæ eſt ſexta locupletandi ratio?

Egreſſio Græcè παρέκβασις

Quid est egressio sive παρέκβασις?

Est definitore Quintiliano, alicuius rei, sed ad vtilitatem causſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio,

Quot modis adhibetur?

Quinq́ Quibus?

Aut laudandi gratia, aut vituperandi, aut ornandi, aut delectandi aut præparandi.

Vnde sumuntur egressiones?

Ab expositione rerum gestarum, à descriptiene locorum, regionum, personarum. Item à tractatione fabularum, apologorum. Præterea a locis communibus quoties amplificandæ rei gratia, vel in vitia vt luxuriam, libidinem, avaritiam. & id genus alia, dicimus, vel quoties virtutes, vt frugalitatem. continentiam, studia literarum, pietatem, taciturnitatem, laudibus efferimus.

Quæ est septima locupletandi ratio?

Epitheta?

Quid sunt Epitheta?

Nomina adiectiua & quæcunq́ alia à quibus proprietas quædam attribuitur, quocunq́ pacto non per sonus tantum, verumetiam rebus, vt præcep iuventa, Esca malorum voluptas, Vitæ magistra historia.

Vbi adhibentur Epitheta?

In Poëmatis, in quibus & naturalibus vti licet, candida nix, Liquidi fontes.

(In prosa oratione non oportet adhibere, nisi emphasin quandam habeant, & ad rem propositam.)

pertineant

pertineant, vt: Non impetrabis causam tam iniquã ab Aristide iustissimo. Tuo consilio nobis subveni, vir prudentissime.

Quæ est octaua ratio?

Circumstantia, quas Græci peristæses vocant,

Quotuplices sunt circumstantiæ?

Duplices rerum & personarum.

Quæ sunt circumstantiæ rerum?

Causæ, locus, occasio, instrumentum, tempus, modus, atq́ id genus aliæ.

Quę suns circumstantiæ personarum?

Natio, patria sexus, ætas, educatio, disciplinæ, habitus corporis; fortuna, conditio, animi natura, studium, anteacta, commotio, consilium, nomen.

Ad quid conducit aptus & tempestivus circumstantiarum vsus?

Ad amplificandum atq́ extenuandum, ad evidentiam, ad confirmationem & probationem. Facit enim vt tota oratio densis ac crebris argumentis vndiq́ differta sit, & communita.

Quæ est nona dilatandi ratio?

Amplificatio,

Quot sunt amplificationis forma?

Præcipuæ quatuor.

Quæ est prima?

Est quæ constat incremento, hoc est, quoties gradibus aliquot perventur, non modo ad summum sed interim quodammodo supra summum, vt, fa-

cinus est ciuem Romanum vincire, scelus verberare, prope parricidium necare quid dicam, in cruce tollere.

(Ad hoc genus pertinet, cum congestis ordine quodam circumstantiis, in contextu & cursu semper priore magis insequitur, vt Cicero 2 Philip. de vomitu Antonii: O rem non visu modo fœdam, sed etiam auditu, si inter cœnam in tuis immanibus iis poculis hoc accidisset, quis non turpe diceret? In cœtu vero populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.)

Quæ est secunda forma?

Comparatio, quæ fit vel fictione, vt, Servi me hercle mei, si me isto pacto metuerent, vt te metuunt omnes tui, domum meam deliquendam putarem, Vel exempli collatione, quoties proposito velut simili exemplo, efficimus, vt id quod exaggeramus aut proximum illi, aut par, aut maius etiam videatur, vt, Quanto est Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? Siquidem illa, (Milesia) cum suo corpori vim attulisset seipsam cruciauit. Hinc autem idem illud efficit, per alieni corporis cruciatum. Cicero in Oratione pro Cluent.

Loquitur hic de Milesia quadem muliere, quæ pro abortu pecuniam accepit a secundis hæredibus. Ita Oppianicus etiam vxorem Martii precio induxerat, vt prolem suam, quam in vtero gestabat, veneno perderet.)

(In hoc autem genere non solum totatotis, sed etiã partes

partes partibus comparantur. Vt Cicero: An vero vir amplissimus Scipio Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem Rempub. priuatus interfecit Catilinam orbe terrarum cæde ac incendio vastare cupientem, nos consules perferremus.)

Quæ est tertia forma?

Ratiocinatio qua amplificando aliud ex alio colligitur hoc modo: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hyppij nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere. Colligitur enim quantũ vini biberit Antonius quod illa totius corporis gladiatoria firmitas nequiuerit ferre & concoquere.

(Huc pertinet, quoties res atrocissimas elevamus consulto, quo graviora videantur, quæ se quutura sunt hæc in hoc reo. Metum Virgarũ Navarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit. Humanum est, &c. Hic atrocius quiddam expectetur necesse est, cui hæc quæ sunt atrocia comparata, humana atq; vsitata videantur.)

Quæ est quarta forma?

Cum amplificamus congerie verborum ac sententiarum idem significantia, vt Cicero pro Ligario: Quæ tua mens? oculi? ardor animi? quid cupiebas?

(Hic velut acervo crevit oratio. Idem fit interim omnibus altius atq; altius insurgentibus, vt in hoc exemplo: Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorq; sociorũ, & ciuium Romanorum, lictor Sextius.)

(Ampificamus etiam quasi cotrectione quadam, vt Cisero in vertem: Non enim furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum. sed hostem sacrorum relegionumque non ficari um, sed crudelissimum carnificem ciuium sociotumq; in iudicium vestrum adduximus.)

(Amplificamu præterea cum speciem augemus, generi collatam. vt: Cum omnes disciplinæ liberales plurimum homini conciliant, ornamenti, vel adiumenti, cum imprimis eloquentia. Totidem sunt & minuendi modi, quot amplificandi.)

Quæ est decima dilatandi ratio?

Propositionum multiplicatio, hoc est, vt quam maximum propositionum numerum reperiamus.

Quot sunt spectanda in propositionibus?

Tria. *Quæ?*

Primò, vt eas reperiamus propositiones, quæ quicquid ad caussam pertineat, absolutè complectantur, Deindè, vt rectè dividantur. Postremò vt ordine quam maximè ad caussam idoneo, disponantur.

(Siqeidem eo pacto fiet. vt neq; copia rerum confusa sit oratio, dum semder habet audiror certum aliquod & in quod tendat animum, & quod meminisse possit, & quod expectet, tum is qui dicit nusquam hæreat, dum in promptu est, quo sese recipiat in viam.)

Exemplum.

(Si quis suadeat M. Tullio conditionem ab Antonio oblaram accipiat, nempe ut vivat, extinctis Philippicis, his semper propositionib. vti poteritnõ

(Esse cuiquam egregio viro tanti emendamiv tam vt immortalem vitam amittat.)

Huic generali subserviat particularis, à circumstantiis sumpta, præsertim Ciceroni, qui tot laboribus clarissimum, semperq; victurum nomen sibi peperit, Ac mortem esse contemnendam tot voluminibus editis fussimè demonstravit, maximè cum iam seni non multum ævi supereese videatur, Rursum altera sumitur à circumstantijs: Nihil infelicius esse, quam debere vitam Antonio. Tertia coniecturalis erit, callidè hoc agere Antonium, vt exustis prius Philippicis, in quibus intelligat & suam infamiam sempiternam, & Ciceronis immortalem gloriam esse sitam, deinde erepta vita quoq; totum extinguat Ciceronem.

Vnde peruntur propositiones?

Partim ex his quæ sunt vulgaria, partim ex his quæ sunt propriæ causæ: vulgares propositiones ex ipsa rei natura reperiri poterunt, propriæ ex circumstantiis rei diligenter expensis.

(Genus suasorium proprios habet locos, vnde propositiones petere liceat, rectum, landabile, vtile, tutum, facile. necessarinm, iucundum. Demonstrativum item suos, nempe bonorum ordines, & quæ his comprehenduntur.)

Quę est vndecima locupletandi ratio?

Est quæ sumitur ex accumulatione copiosa pro-

bationum & argumentorum, quas Græci appellant.

(Nam ad eiusdem propositionis confirmationem variæ rationes adhibentur, & rationes aliis argumentis confirmantur.)

Quotuplices sunt probationes?

Duplices, partim enim sunt ἔντεχνοι id est, artificiales partim ἄτεχνοι id est, ab arte semotæ.

Vnde dicuntur probationes ab arte semotæ, seu ἄτεχνοι?

A præiudicijs, á rumoribus, à tormentis, á tabulis, á iurejurando, à testibus.

Vnde petuntur probationes artificiales?

Primum á signis, quarum alia sunt necessaria, quæ τεκμήρια vocantur, alia non necessaria, quæ σημεῖα dicuntur. Secundó, ab argumentis, quorum aliud est credibile, aliud velut propensius aliud non repugnans: & ducuntur plerumq; á circumstantijs quæ duplices sunt, personæ ac rei, de quibus paulò ante dictum est. Item á locis, qui sunt omnium caussarum generibus communes, á finitione, Etymologia & ab his, quæ ad naturam finitionis pertinent genere, specie, differentia, & reliquis locis rerum, de quibus traditur in Dialecticis. Tertiò sumuntur probationes ab exemplis, quæ plurimum etiam valent ad Copiam: & adhibentur, aut vt similia, aut dissimilia aut contraria: rursum, aut vt maiora, aut vt minora aut vt paria.

DE

DE COPIOSA TRACTATIONE exemplorum.

Quotupliciter tractantur exempla?

Dupliciter. Quomodo?

Aut contractius, cum exemplum ceu notum, verbo significatur, vt Cicero pro Milone: Neq; enim possit Hala Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule, Senatus, non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset. Aut fusius, cum augentur, & crescunt tractatione.

Quot rationibus augentur & crescunt exempla tractatione?

Tribus.

Quæ est prima ratio?

Commendatione quæ plerumq; sumitur, vel a rei dignitate, vel ab autoris laude, vel gentis, vnde ducitur exemplum, veluti si quis Lacedæmonicum factum, aut dictum adhibet, præfari oportet, eamagentem sapientia, & rei militaris & civilis disciplinæ cæteris longe antecelluisse & exemplis pulcherrimis semper abundasse. Et si quis ê Plutarcho citabit exemplum, præfari licebit, eum autorem vnum omnium esse grauissimum. Item si quis M. Attilii Reguli ad hostem redeuntis exemplum velit adducere, poterit ad hunc proloqui modum: Inter tam multa Romanæ virtutis insignia decora, ullum nunquam facinus pulchrius exstitisse, aut laudatius, quam Martij Attilij.

Si fusius aut latius explicentur, cum exaggerationibus, & amplificationibus: quod genus fuerit, si quis persuadere studeat. ad prudentiam comparandam multum conducere peregrinationes, multarum rerum inspectionem, Solonis laude aliquandiu commoratus & quam ciuitatem reliquerit, & quam ob causam, & quæ maria transmiserit, & quas rationes, quo capitis periculum adierit, & quibuscum sit congressus, & quid mirandum conspexerit, & quantum temporis abfuerit, & quanto illustrior & sapientior in patriam redierit, fusius enarret; Atq; vtraq; ratio dilatandi contrahendiq; locum habet in fabulosis quoq; exemplis, si res ac decor patietur.

(In his quæ omnino fide carent, præfari conveniet, non sine causa esse conficta, neq; tot seculis temere celebrata. Deinde quid sibi iisvoluerint sapientes, interpretabuntur. Huc etiam pertinent Apologi, quales sunt, qui Aesopi nomine celebrantur, & illi Menei Agrippæ, de corporis humani membris adversus ventem conspirantibus, apud Liuium. Referuntur huc etiam fictæ narrationes rerum gestarum, cuiusmodi sunt Luciani veræ narrationes, & de specu apud Platonem, de quo vncti quidã vmbris perinde ut ipsis rebus, delectantur.)

Quæ est tertia dilatandi ratio exempla?

Collatio. & Comparatio siue consentio,

Quid est collatio?

Est, cum accommoda similitudo, quod adductum est

est exemplum ostendit aut simile esse, aut dissimile, aut contrarium. Simile, vt non aliter, quam Camillus rem Romanam à Gallis oppressam, & in extremam perniciem adductam sua virtute, depulsis barbaris, restituit: ita Laurentius Valla latinas literas. inscitia ferè barbarorum depravatas, obrutas, extinctas, in pristinum nitorem, velut ab inferis revocauit. Dissimile, Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius virtutem filij morte mulctavit. Contrarium vt, Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit.

Quid est comparatio sive contentio?

Est, quæ demonstrat id quod adductum sit, aut esse par, aut minus aut maius. Par, ut apud Ciceronem, Etenim mihi ipsi accidit, vt cum duobus patricijs, altero improbissimo, altero modestissimo, atq; optimo viro peterem: Superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Minus vt si propter matrimonia violata, vrbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est? Maius vt pro Milone: Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fatetur. In qua vrbe tandem hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum iudicium vidit de capite M. Horatij fortissimi viriqui nondum libera ciuitate, tamen populi comi-

tijs

mit is liberatus, cum sua manu sororem interfectam fateretur.

Vnde sumitur hæc exemplorum collatio?

Ex omnibus rerum ac personarum circumstantijs. Adiuuatur autem & orationis artificio, cum verbis ac figuris ad id commodis alia consultò adiuvantur, alia tolluntur.

Quæ sunt exemplis affinia?

Parabola, εἰκὼν siue imago, contentio demonstratiua, iuditia & sententiæ.

Quid est parabola?

Est similitudo sumpta ab his, quæ fiunt, aut quæ natura casuve rebus adiuncta sunt, vt navis pro ventorum tatione velum tollens, aut contrahens, in hoc aut illud latus transferens, Parabola est, quæ docet sapientem tempori cedere oportere ac rebus præsentibus sese accommodare. Quæ aliquando verbo notatur, vt Intelligis tibi vertenda vela? Aliquando latius explicatur, & apertius accommodatur vt apud Ciceronem pro Murena: Quod si è portu soluentibus quidam in portum ex alto invehuntur, prædicere summo studio solent tempestatum rationem, & prædonum, & locorum quod natura fert, vt his faueamus, qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur, quo me tandem animo esse oportet, propeiam ex magna iactatione, terram videntem, in hunc, cui video maximas tempestates esse subeundas?

Est

(Est q; eadem parabolæ, quæ exempli, dilatandæ ratio, videlicet per collationem, item que dissimilium cuius hoc sit exemplum: Neque enim vt navis vtilior nova, quam vetus sic amicitia.)

Quid est εἰκὼν sive imago?

Est ficta similitudo quæ cum descriptione quadam oculis subijcitur, & imaginem rei collatæ quasi viuam exprimit, vt, Os humerosq; Deo similis. Facit autem εἰκὼν magis ad euidentiam, aut grauitatem aut iucunditatem orationis, quam ad probationem.

Quid contentio demonstratiua?

Est quoties in genere demonstratiuo personam cum persona conferimus, laudandi, vituperandive gratia, vt si quis Maximilianum laudaturus: eum componat cum Marco Antonio Imperatore. Est & rerum comparatio, quod genus est, Si quis Poeticam laudaturus, huius commoda in Philosophia commodis committat, atq; expendat.

Quid sunt iudicia?

Sunt sententiæ Scriptorum illustrium gentium, virorum sapientum, & clarorum ciuium, quæ Græci κρίσεις appellant.

(Idem valent sapientum Apohtegmata, cuiusmodi sunt illa sapientum dicta, quæ referunrur à Plutarcho. Huc pertinent & Prouerbia, item oracula, & responsa numinum.)

Quid est sententia?

Est (vt inquit Cicero ad Herennium) oratio

sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporte at in vita breviter ostendit.

(Licet autem sententias in omnibus orationis partibus & affectibus movendis, admiscere, non solum in probatione, quæsi in loco adhibentur haud mediocre moratione scopiam adiungens, neq; id fine gratuitate & gratia. Debet tamen earum esse modus, vt ibi adhibeatur, vbi locus postulat aut certe patitur.

Quot sunt sententiarum formæ?

Præcipuæ duæ, Epiphonema & Noema.

Quid est Epiphonema?

Est rei narratæ vel probatæ summa acclamatio: Narratæ vt apud Virgilium: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Probatæ vt apud Ciceronem pro Ligario: Quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio?

Quid est Noema?

Est sententiæ genus, quod non dicitur, sed intelligitur, quale est illud: Eras dignus vt haberes integrã manum. Nam intelligitur, ut rursus in ludo depugnares.

(Est autem illud dictum inquendam agentem cum sorore Talionis. quod sibi dormienti pollicem reciderat, cum illa fratrem sæpius alludo gladiatorio redemisset. Sunt & aliæ sententiarum formæ, quas si vis, ex ipso autore Erasmo desumes.)

Quid cognationem habet cum sententia?

Expolitio.

Quid est expolitio?

Est, quoties eodem in loco diutius commoramur & eandem sententiam aliis atq; aliis modis variamus, simul & locupletamus.

Qulbus id fit mod.s?

Primò, commutatione verborum, cum eadem res aliis atq; aliis figuris sæpius effertur.

Secundò, commutatione tractationis, vel, cum quod iam sub persona nostra diximus, idem alium, sed paulò aliter dicentem facimus: vel, cum quod sedatius est, disputatum, id acrius atq; inflammatius efferimus.

Quot partibus constat copiosa expolitio?

Septem.	Quibus?
Præpositione,	
Ratione.	
Duplici sententia, cui ratio idem duplex subijci potest.	
Contrario,	
Simili,	
Exemplo,	
Conclusione,	

Exemplrm expolitionis.

Sapiens nullum pro Repub. vitabit periculum,

Ideo

Ideo quod sæpe fit, vt cum pro Repub. perire noluerit: necessariò cum Repub. pereat. Et quoniam sunt omnia commoda á patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro Repub. subeundum est stultè faciunt. Nam neq; effugere id possunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. At qui patriæ pericula suo periculo propellunt, hi sapientes putandi sunt: Dum & eum quem habent honorem Reipub reddunt & pro multis perire malunt, quam cum multis. Et enim vehementer est iniquum, vitam á natura acceptam per patriam cum conseruaueris, naturæ, cui cogat reddere, patriæ, cum roget, non dare, Et cum possis summa cum virtute & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignauiam viuere: pro amicis, & parentibus, ac cæteris necessarijs adire periculum cum velis, pro Repub. in qua hoc vel illud sanctissimum patriæ nomen continetur, nolle in discrimen venire. Itaq; vti contemnendus, qui nauigando nauim, quam se mavult incolumem, ita vituperandus qui in Repub. discrimine suæ saluti plus, quam communi, consulit. Navi fracta multi incolumes fuerunt, ex naufragio patriæ, nemo potest enatare. Quod mihi videtur Decius intellexisse, qui se deuouisse dicitur; & pro legionibus se in hostes immisisse medios: vnde vitam amisit, non perdidit. Re enim vtilissima, maximam redemit, vitam dedit, accepit patriam, amisit animam, potius est gloriæ quæ

quæ summa laude, prodita vetustate quotidie magis enitescit. Quod si pro Republica debere accedere ad periculum, & ratione demonstratum est, & exemplo comprobatum, si sapientes sunt existimandi, qui nullum, pro salute patriæ periculum vitant.

(Vtile erit, diligenter exerceri hoc modo adolescentes, non solum in tractandis & exponendis sententijs sed quolibet etiam argumẽto, quod potest commode explicari, tractariq; copiosè Interdum congerere licebit plures sententias, rationes, similia, & exemplа cum copiosius tractare volumus.)

Quæ est duodecima dilatandi ratio?

Multiplicatio partium orationis Rhetoricæ, quæ sunt. Exordium, Narratio, Propositio, cum partitione, probatio continens confirmationem & confutationem, & peroratio, è quibus Exordium & Narratio, interdum omitti possunt brevitatis studio: interdum copiæ affectatione, prolixius omnes tractari adsciis pluribus Schematis, & admistis quoq; affectibus.

Quomodo dilatatur Exordium?

Primò, renovando docilitatem commodis transitionibus, quod genus fuerit: Audistis largitione corruptela, sanguine, stupro, ac fœdissimis artibus paratum honorem. Nunc ostendam illud, quod turpiter est adeptus, turpius administrasse.

Secundo revocando attentionem varijs modis, qui pro rei natura fingi possunt. Tales fuerint. Magna sunt hæc, sed levia præ his, quæ nunc dicturus sum. Et: Nunc ad ipsum rei caput accedo, proinde quæso, ut hæc animis quàm maximè attentis audiatis.

Quomodo dilatatur narratio?

Primò repetitione quæ sit quoties sit res paucis ac simpliciter exposita, denuò fusius & ornatius enarratur.

Secundò digressione, quæ & brevis esse debet, & sic cum narratione cohærere, ut aut quasi finis narrationis, aut quasi initium probationis videri eadem possit.

Quomodo dilatatur propositio?

Id duobus fit modis, Primum, si pro simplici, duplici aut multiplici utimur, etiamsi una sit satis, vt: Si fecisset, præmio magis, quam supplicio dignus erat. Aut: Res hæc nec est honesta, nec expedit, nec sine summo periculo fieri potest. Quod si maximè sit honesta, maximè expediat, maximè sit tuta, tamen fieri non potest, vt consequamur. Deinde si non nudam omninò, sed & argumentis obiter interiectis & affectibus accensam, proferamus. Qualis est illa Ciceronis pro Milone: Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Deinde affectus miscet: Nihil dico quid Respublica consecuta sit, nihil quid nos, nihil quid boni, nihil sane id-

posit Miloni, qui hoc fato natus est, vt ne se quidem servare potuerit, quin una Rempublicam vosq; servaret.

Quomodo crescunt probationes?

Labefactatione seu præparatione, asseveratione & excursionibus per amplificationem.

Quomodo crescunt labefactatione seu præparatione?

Id fit bifariam.

Quomodo?

Primò propositionibus quæ hic sunt veluti singularum partium orationis collectiones, seu conclusiones quas oratoribus mos est initio argumentationum proponere, & easdem in fine vehementius per affectus aut per epilogum repetere.

Secundò, cum ita proponimus, vt ipsa orationis figura fidem abrogemus, aut conciliemus. Cuiusmodi est illud Ciceronis pro Milone. Sed antequam ad eam orationem veniam, quæ est propria nostræ quæstionis, videntur ea esse refutanda, quæ in senatu sæpè ab inimicis & improbis jactata sunt, & in concione etiam paulo ante ab accusatore.

Quomodo asseveratione?

Cum ea, quæ argumenta quidem non sunt, sed pondus argumenti habent, probationibus admiscentur, ut: Quis tam cœcus, qui hoc non videat? Quis tam impudens qui neget?

Locupletantur & singulæ collectiones Epilogis particularibus, quæ summã rationum paucis com-

comprehensam auditori denuo sub oculos re-
vocant, quò maiore cum fide conclusio succe-
dat, ut Cicero in Oratione pro Pompeio. Qua
re videte, cum dubitandum vobis omni stu-
dio, ad id bellum incumbere, in quo gloria
nominis vestri, salus sociorum, vectigalia ma-
xima, fortunæ plurimorum civium, cum Re-
publica defendendum.)

Quomodo excursionibus?

Cum per amplificationem singulis probationibus
suos affectus adjicimus, ad quod propria destinata
est conclusio, quam si copiosam esse volemus, geminam
efficiemus, ut simul per Epilogum præcipua argumen-
ta recensentur, & affectuum omne genus
per omnes locos tra-
ctetur.

Selectorum de utraq; Copia verborum
& rerum finis

LECTO-

ESt vtilissima pars studiorum puerilium exercitium & usus præceptorum, quę tradunuur adolescētię, varius, assidu, & diligens. Nam absq, exercitatione non satis intelliguntur præceptiones artium, nec diu inhærere possunt mentibus. Adiecimus igitur hoc loco etiam species argumentationum Rhetoricarum breuiter collectas, quod earum cognitio non minus necessaria & vtile exercitium videtur esse quàm Dialecticarum adolescentibus. Nam sæpe occurrunt earum exempla in bonis autoribus, & diligenter pertractatæ sunt ab iis Scriptoribus tùm Græcis tùm Latinis, qui de Rhetorica præcepta tradiderunt. Nihil, inquit ille, paruum est in studiis. Ideo & hunc breuem quasi tractatulum studiosus adolescens non contemnet, sed ut profuturum su is studiis amabit. Si quis hæc volet Rhetoricis præceptis addere potest, vel proponet ediscenda in eo dialectices loco, vbi de formis argumentationum agitur. Nos in calce libelli ideo adiunximus; vt successiua & peculiarj opera & tempore explicari adolescentiæ commodius possent. Vale.

DE NOVEM SPECIEBVS ARGVMENtationum Rhetoricarum.

Quot sunt species argumentationum Rhetorices.

Novem.	*Quæ?*
1. *Ratiocinatio.*	5. *Enumeratio,*
2 *Inductio,*	6 *Simplex conclusio.*
3 *Collectio,*	7 *Subiectio,*
4 *Complexio seu Dilemma.*	8 *Oppositio,*
	9 *Inversio.*

I. RATIOCINATIO.

Quid est Ratiocinatio?

Est Syllogismus Rhetoricus, in quo rationibus vna vel pluribus additis maiori & minori propositione, infertur.

Quot partibus constat?

Quinq; *Quibus?*

Propositione, Propositionis ratione, Assumptione Assumptionis ratione, & conclusione.

Da Exemplum.

FE *Cuicunq; quæsito opus est, is verè dici dives non potest. Est enim divitiarum fructus, copia, quam declarat satietas rerum & abundantia,*

dantia hoc est si tibi nihil deesse putes, nihil appetas amplius.

RI *Marco Crasso quæsito opus est, quia propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putat, quotidie fraudat, poscit, paciscitur, aufert, eripit, spoliat socios, ærarium expilat, & testamenta supponit, quæ omnia non abundantis, sed egentis signa.*

Ergo *Marcus Crassus verè dives dici non potest.*

(Interdum pluribus partibus constat ratiocinatio, quam quinq;, cum unaquæq; probatio suam habet confirmationem & rationem, atque hæc rursus aliam, interdum omittitur probatio, vel propositionis vel assumptionis, fitq; argumentatio trimembris, exemplum vide apud Erasmum in opere de conscribendis Epistolis, & Rivium libro 6. Dialecticæ.)

II. INDVCTIO.

Quid est inductio?

Est argumentatio, quæ rebus non dubijs concessis propter similitudinem, rem, quæ dubia erat, comprobat.

Da Exemplum.

Dic mihi senex ingratissime, si nihil in te officij collocassem, num tu me iniurium vocares? Non, inquies. Neq; enim injuria videri potest, si nihil de eo bene mereare, cui nihil debes. Nunc igitur cum

vltro plurimum in te officij contulerint, non æquum est, te mihi succensere, quod benefacere desierim, qui succensere non poteras, etiamsi nunquam benefacere cœpissem.

III. COLLECTIO

Quid est collectio?

Est argumentatio, quæ rationibus & expolitionibus absolvitur.

Quod partibus constat?

Quinq; Quibus?

(Propositio est, quod probandum sumitur. Ratio quæ probat quod propositum est. Confirmatio est rationis probatio. Expolitio est, quæ locupletandæ & honestandæ rei gratia adhibetur. Hæc fere sumitur a similibus, exēplis, amplificationibus, proverbiis, & id genus aliis. Conclusio est, qnæ superioribus breviter repetitis, propositionem iterat.)

Da Exemplum.

Sapientis est famæ suæ longè diligentius, quàm opibus suis, non minus verò diligenter, quàm vitæ consulere. Minus siquidem damni & incommodi accipit, qui pecuniam, aut etiam vitam amittit, quàm qui famam. Fama amissa in integrum restituitur nunquam. Et vita quidem corporis, cum certos à natura terminos acceperit, in longū tempus extendi nequit. Fama verò hominis, quæ est altera et potior vita

nostra, etiam post cineres & rogum superest. Vitam igitur quisquis eripit, rem adimit, qua nullo etiam auferente, diu frui non poteramus: at famam qui eripit, re immortali, & pulcherrima nos spoliat. Quod veteres rectè intellexisse mihi videntur, qui non pecuniam modo, verumetiam vitam ipsam effundere non dubitarunt, quò nomen suum quam maximè prorogarent. Multos fuisse eo animo legimus, ut postquam se fama spoliatos viderent, ne caussam quidem esse putarent, cur diutius in vita manerent, adeo gravius famæ, quam vitæ dispendium judicabant. Quod si igitur homines, ijs rebus maximè timere videmus, quæ, cum sint precioſissimæ, facilimè tamen perduntur, ac difficile restituuntur, sapiens existimandus non est, qui famæ, quæ neq; restitui potest semel amissa, & qua nihil habet homo precioſius, non multò diligentius consulendum putet, quam pecuniæ, aut etiam vitæ.

(Potest etiam tribus duntaxat, aut quatuor confici collectio, si vel confirmatio, vel expolitio, Vel vtraq; omittitur.)

Quomodo differt Collectio à ratiocinatione?

In collectione id ipsum, quod proponitur, in conclusione repetitur. In ratiocinatione concluditur id, quod est è propositione & assumtione confectum.

IV. COMPLEXIO sive Dilemma.

Quid est complexio sive Dilemma?

Est argumentatio in qua utrumvis concesseris, reprehenditur, ut Gabinium admonendum non censeo: nam si bonus est admonitione non habet opus. Si improbus, eam contemnet.

Aliud

De futuris augi metu non debemus: etenim si bona sunt frustra metuimus, sin adversa infelicitatem duplicamus.

Vitiosæ complexiones sunt, in quibus aut utraq; pars, aut altera converti & in adversarium detorqueri potest, vt accusandus omnino non est.)

(Nam si veretur, quid eum accusas, qui id potius æstimet? Hic invertitur vtraq; pars. Prior vt, Imo si veretur, maxime accusandus, vt corrigatur. Posterior vt si non veretur, hoc ideo est accusandus. quia improbus est. Non est hic puer tradendus privato præceptori. Nam si est literarum studiosus, non habet opus privata institutione: sin ocio est deditus, nil proderit disciplina ignavo.)

(Hic invertitur prior pars. Imo, si studiosus est, plus proficiet, si privatum præceptorem habuerit.)

V. ENVMERATIO.

Quid est Enumeratio?

Est, in qua pluribus rebus sufficienter expositis, & cæteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur.

Quot partibus constat?

Expositione: Infirmatione, & conclusione.

Da exemplum?

Si illum ab hoc dicis occisum, cum sine causse nunquam suscipiatur maleficium, necesse est, aut metus aut odio, aut spe alicuius commodi, aut amici alicuius gratia ab hoc esse occisum. Sed neq; odium, neq; metum, neq; spem interceßisse, neq; ad amicum aliquem mortem eius pertinere probare poteris. Relinquatur ergo ab hoc non esse illum occisum.

(Interdum constat tantum Infirmatione & conclusione, vt: Neq; metuit, neq; odio habuit, neq; aliquid commodi spectavit, neq; amicitia alicuius motus est, igitur non occidit. Fabius argumentum à Remotione appellat. Dialectici vocant argumentationem a sufficiente divisione, vt: Neq; censu, neq; vindicta; neq; testamento liber factus est. Ergo liber nõ est, Confutatur autem enumeratio, si aut unũ aliquod membrum, quod ab adversario præteritum erat, profertur, aut si vnum quippiam ex his, quæ prolata sunt, falsum esse ostenditur. Exemplum vtriusq; vide apud Erasmum.)

VI. CONCLVSIO

Simplex.

Quid est conclusio simplex?

Est argumentatio, in qua ex eo, quod antecedit, aliquid consequi necesse est, vt: spirat, ergo non est mortuus. Literas novit, ergo didicit. Si hunc hominem

nem constat in provincia fuisse occisum, ab hoc, quitum Romæ fuit occidi non potuit,

(Refutatur hæc argumētatio duobus modis. Primo si id quod sequitur, non necessario cum antecedente cohærere ostenditur. vt: Si mater est, diligit filium, Refellitur, quia Medea filium occidit. Hoc vocant Dialectici negare cōsequentiam. Deinde si id, quod antecedit, negatur esse verum, vt Philosophia socordiam affert. Ergo Philosophia est vitanda. Refellitur, quia antecedens est falsum, Est igitur negandum, vt fit in Enthymemate.)

VII. SVBIECTIO.

Quid est Subiectio?

Est argumentatio, in qua quærimus, quid pro adversario, aut contra nos dici possit: deinde per singulas interrogationes, propere subycimus rationes, quibus id, quod dictum est, refutatur,

Quot partibus constat subiectio?

Tribus. Quibus?

Interrogatione, Subiectione & conclusione.

Da Exemplum.

Quæro, vnde iste ex tenui tam pecuniosus factus sit? Patrimonium amplum relictum est? At patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obvenit? At à suis exhæredatus est. Ex mercatura, quam instituit, quæstum maximum consecutus est? At ex ea re, quæ habere videbatur omninò amisit. Quare si his rationibus non locupletatus est, aut illi aurum domi nascitur, aut vnde non licuit pecunias accepit.

Refutatur subiectio, si aut aliquid prætermissū esse ostenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis, sicut fit in enumeratione, in quam subiectio commutari potest.)

VIII. OPPOSITIO.

Quid est oppositio?

Est, in qua ex opposito Propositionis ad ipsam propositionem revertimur.

Quot partibus constat?

Tribus. Quibus?

Propositione, Oppositione, & reversione.

Da Exemplum?

Si eo tempore, quo hunc hominem in provincia occisum dicitis, ego Romæ fui, relinquitur à me non occisum. Nam si tunc in provincia fuissem, à me occisum suspicari poteratis. Nunc autem, cum eo tempore in provincia non fuerim, nihil est quod hominem à me occisum suspicemini,

IX. INVERSIO.

Quid est inversio?

Est argumentatio, in qua ex adversariorum ratione, non id quod ipsi volunt, sed quod utile nobis est, sequi nos demonstramus.

Quibus partibus constat?

Propositione, ratione, & inversione.

Da exemplum?

Non sunt legendi Poëtæ, demulcent enim legentis animum, & alliciunt: Imo ob id ipsum sunt legendi, quia demulcent animum.

FINIS.